PALLADIS CHYMICÆ.

PARS SECVNDA.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

GENVÆ,

Typis Antonij Georgij Franchelli.

Superiorum permiſſu.

PALLADIS CHYMICAE PARS SECVNDA.

Declaratur tabula antiquiſſima Hermetis; in qua modus efficiendi lapidem philoſophicum continetur.

CAPVT I.

Verba Secretorum Hermetis, quæ ſcripta erant in tabula ſmaragdina, inter manus eius inuenta in obſcuro antro, in quo humatum corpus eius repertum eſt.

Tabula Hermetis.

V*Erum ſine mendacio, certum, & veriſſimum. Quod eſt inferius eſt ſicut, quod eſt ſuperius, & quod eſt ſuperius, eſt ſicut, quod eſt inferius, ad per-*

petranda miracula rei vnius. Et ſicut omnes res fuerunt ab vno meditatione vnius; ſic omnes natæ fuerunt ab hac vna re, adaptatione: Pater eius eſt ſol, mater eius luna. Portauit illud ventus in ventre ſuo. Nutrix eius terra eſt. Pater omnis teleſmi totius mundi eſt hic. Vis eius integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo ſuauiter cum magno ingenio. Aſcendit à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum, & inferiorum; ſed habebis gloriam totius mundi; ideo fugiet à te omnis obſcuritas. Hoc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit. Sic mundus creatus eſt. Huic erunt adaptationes mirabiles, quarum modus hic eſt. Itaque vocatus ſum Hermes Trimegiſtrus, habens tres partes philoſophiæ totius

mundi

mundi completum eſt, quod dixi de operatione ſolis.

Huius tabulæ clara explicatio.

QVod eſt inferius eſt ſicut, quod eſt ſuperius, & quod eſt ſuperius ſicut, quod eſt inferius. Siue per inferius intelligatur corpus, ſcilicet, aurum, ſiue ignobilius, nempè, argentum viuum, & nobilius, hoc eſt, aurum; vnum dicitur eſſe ſicut aliud, dum ex vtriſque fit ſimul vna ſubſtantia, ſiue aqua vna mercurialis, in qua corporeum, ſiue corpus factum eſt ſpirituale, ſiue ſpiritus; & ſpirituale factum eſt corporale, hoc eſt, ſpiritus factus eſt corpus, cum ex corpore, & ſpiritu, nempè ex auro, & argento viuo purgato facta ſit vna tantùm aqua, ſiue vna ſolùm mercurialis ſubſtantia. Dicitur etiam, inferius eſſe ſicut ſuperius, &c. Dum enim fit ſul-

phur ex elemento terræ, & eius anima, ſeù mercurio; ſiue ex parte fixa, & ex parte volatili, ac ſimul ſublimantur, tunc inferius eſt ſicut ſuperius, & vice verſa, quia omnia conueniunt, & ſunt vnum ſulphur, in quo corpus factum eſt ſpiritus, & ſpiritus factus eſt corpus. Vel id intelligitur, quia inferius, ſiue ignobilius, fit ſicut ſuperius, ſeù nobilius; cum ex auro, & mercurio fiat vna tantùm mercurialis ſubſtantia; aut ex terra auri, & ipſius anima vnum ſulphur. Additur poſtea, *ad perpetranda miracula rei vnius*: hoc eſt, ideo ex auro, & mercurio fit vna tantùm mercurialis ſubſtantia, vt tandem ex illa fiat lapis philoſophorum, quo naturæ miracula, ſiue prodigia operantur: nam ex iſta mercuriali aqua, & ſubſtantia, ex auro, & argento viuo compoſita eruuntur omnia, quæ ad compoſitionem lapidis ſunt neceſſa-

ceſſaria; & partes ipſius dicuntur res vna, quia ſunt in hac aqua eiuſdem naturæ mercurialis.

Et ſicut omnes res fuerunt ab vno, &c. Hoc eſt, ſicut omnia elementa ex vna maſſa confuſa per artificium Creatoris fuerunt edu-cta, vt ex illorum diuiſione, & mixtione omnia fierent, & mundus conſtitueretur, ac perficeretur: ſic ab hac vna re, ſcilicet, ab hac aqua mercuriali compoſita ex auro, & argento viuo naſcuntur omnia per adaptationem, & debitam præparationem: nam hæc aqua continet in ſe quicquid eſt ſibi neceſſarium ad lapidis compoſitionem: ab illa enim tanquam ex maſſa confuſa ſeparantur elementa, quæ poſtea reunita conſtituunt ſulphur, & lapidem philoſophicum.

Pater eius eſt ſol, mater eius luna. In prima ſiquidem compoſitione pater lapidis eſt ſol, ſiue au-

rum; qui pater eſt calidus, & ſiccus, & tincturam generat; ex auro enim anima, ſiue tinctura eruitur. Mater verò eius eſt luna, quæ eſt frigida, & humida, & eſt argentum viuum.

Portauit illud ventus in ventre ſuo. Nomine venti intelligitur argentum viuum, dum ſimul cum auro ſublimatur in terram foliatam; in hac enim ſublimatione ventus, ſiue mercurius, vt volatilis, ſurſum ſecum trahit ipſum aurum. Vel, portauit illud ventus in ventre ſuo, quia per menſtruum, quod nomine venti intelligitur, extrahitur ab auro ipſius anima, ſeù oleum incombuſtibile; & cum quo pluries diſtillatur, vt magis ſubtilietur, vt ad naturam aeris, & ſpiritus reducatur. Aut hoc intelligitur, dum per mercurium in principio reducitur aurum ad naturam mercurialem, & factus eſt ex illis vnus tantum mer-

curius,

curius, & ſimul diſtillantur: tunc enim ventus, ſiue mercurius portauit aurum in ventre ſuo.

Nutrix eius terra eſt. Pars enim inferior, & terrea dicitur nutrix ſulphuris, & fermentum lapidis, quia ſulphur, ſiue lapidem coagulat, & figit; dum enim anima auri reſtituitur ſuæ terræ, ipſa terra vires, & robur ipſi animæ tribuit, eam ſecum vniendo, vt tandem ſimul poſſint ſublimari.

Pater omnis thelesmi totius mundi eſt hic. Nomine mundi venit ipſe lapis completus. Pater autem, ſeu fundamentum huius ſecreti, ſeu theſauri in effectione lapidis conſiſtit in hoc, quod ſeparetur anima, ſiue tinctura à terra auri; iterumque ſuæ calcinatæ, & purificatæ terræ vniatur; ac ſimul ſublimentur in ſulphur perfectiſſimum; vel in terram ſoliatam, vt alij contendunt. Quare addidit.

Vis eius integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Hoc eſt, ſi tinctura, ſiue anima auri fuerit iterum ſuæ terræ vnita, ac ſimul cum illa ſublimata. Aliqui id intelligunt de terra ſublimata, & foliata; ex qua leuiter calcinata philoſophi antiqui cum menſtruo elementa ſeparabant; ex quibus poſtea componebant nobiliſſimum ſulphur ſublimatum, ac reliqua, vt ex dictis conſtat, proſequebantur, vſque ad completam medicinæ, ſiue lapidis philoſophici perfectionem.

Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo ſuauiter cum magno ingenio. Hoc eſt ſeparabis à terra omnia elementa, vel diuiſim, vel ſimul coniuncta, vt ex alibi dictis patet.

Aſcendit à terra in Cælum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum, & inferiorum. Aſcendit in Cælum, dum

per

per ſublimationem ad vitri partem ſuperiorem aſcendit; iterumque in terram deſcendit, cum inferius detruditur, & oleo, ſiue anima ſolis nutritur, & cum illa coagulatur; & ſic recipit vim ſuperiorum, & inferiorum. Vel, dum ex elemento terræ, & elemento aquę fit ſulphur, & ſublimatur, tunc aſcendit in cælum; dum verò deijcitur, & anima, ſiue oleo ſolis rubificatur, ac ſimul benè coagulantur, tunc deſcendit in terram. Aut, aſcendit in Cęlum, dum ſeparatur tinctura, ſiue anima ſolis à terra, dùm verò eadem anima ſuę terrę vnitur, denuò in terram deſcendit. Tandem, aſcendit in Cælum, dum per vnionem partium mercurialium, & volatilium, & terra ſimul cum illis ſublimatur; in terram verò deſcendit, dum tinctura, ſiue oleo ſolis imbibitur, rubificatur, & nutritur, omnia

ſimul benè coagulando.

Sed habebis gloriam totius mundi. Habito enim hoc ſulphure, eoque rubificato, habebis gloriam totius mundi, ſiue totius lapidis philoſophici, nā lapis ab ipſo mundus appellatur; habebis enim id, ex quo, & cum quo poteris lapidem philoſophorum perficere. Vel, dum habebis medicinam coctam, fixatam, & rubicundiſſimam; pariter gloriam totius mundi habebis, quia lapidem perfectum habebis, qui tantùm inceratione indigebit.

Ideò fugiet à te omnis obſcuritas. Nam ſulphur iſtud vocatur aurum vmbra carens: ſulphur ſiquidem compoſitum ex terra auri, & ipſius anima, ſplendor metallorum dicitur; dum enim debitis modis vnitur ſuæ vxori, ſiue mediæ ſubſtantiæ, & ex illis fit vna tantùm mercurialis ſubſtantia, ſeu vnum argentum vi-

uum philoſophorum, in quo ignis, ſeu ſulphur aureum occultatur, (quia ponitur in maiori quantitate de Regina, quàm de Rege, ſeu de aqua mediæ ſubſtantię, quàm de dicto ſulphure) & ſimul debito igne decoquuntur, & fixantur, tunc fugit obſcuritas; quia continuatione decoctionis, quod erat manifeſtum fit occultum, & occultum fit manifeſtum; nam ignis ſeu ſulphur aureum, quod erat occultatum in aqua mediæ ſubſtantię, tandem fit manifeſtum, tandem continuata decoctione tingit, coagulat, & figit, & fixat in ſuum colorem, & naturam ipſam mediam ſubſtantiam, & ſic, quod erat inferius, fit ſuperius, & occultum fit manifeſtum; & hoc pacto fugit á te omnis obſcuritas, cum per oleum ſolis, & ſulphur, & mercurius optimè rubeſcant. Igitur quotieſcunque oleo, aut anima ſolis rubificamus ſulphur, vel medici-

dicinam, tunc fugit à nobis omnis obſcuritas; quia omnia veſtiuntur veſte aurea, & veſte decoris, & honoris.

Hoc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis, quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit. Dum enim hoc ſulphur mixtum eſt per omnia cum aqua mediæ ſubſtantię, & ſic factum eſt matrimonium inter ſponſum, & ſponſam, & ex iſtis duobus mercurijs factus eſt vnus tantùm mercurius, & vna ſola aqua philoſophica, habens in ſe omnia, requiſita ad effectionem nobiliſſimi lapidis philoſophorum, vnde vocatur materia proxima lapidis: tunc Rex dat vires Reginę, hoc eſt, ſulphur vires tribuit ſuę aquæ, vt quando medicina erit perfecta, vincat rem ſubtilem, inde mercurium, & rem ſolidam, ſcilicet metalla, quia in proiectione in naturam auream vertet, ac ſibi aſſimilabit. Sic

Sic mundus creatus eſt. Duobus modis hoc poteſt intelligi: primò, quòd ſeruatis dictis operationibus, mundus, hoc eſt, ſulphur, ſiue lapis formatus ſit. Secundo, quòd ſicut mundus hic magnus creatus fuit à ſupremo moderatore ex maſſa, educendo elementa, eaque reuniendo, & mixta formando; ita pariter ex maſſa aurea philoſophice calcinata, ac putrefacta educuntur elementa, vel ſeparatim, vel coniunctim, quibus denuò reiunitis, mundus chymicus, ſeu lapis, ſiue noſtrum ſulphur efficitur.

Huic erunt adaptationes mirabiles, quarum modus hic eſt. Iſtę adaptationes nihil aliud ſunt, niſi quòd prædictis operationibus hoc ſulphur efficiatur; ac etiam dicti ſulphuris prudens, & accommodatus vſus, videlicet, quòd ex illo cum mercurio mediæ ſubſtantiæ componatur medicina, vt alibi explicatum eſt. *Ita-*

Itaque vocatus ſum Hermes Trimegiſtrus, habens tres partes philoſophiæ totius mundi. Completum eſt, quod dixi de operatione ſolis. Dicit ſe habere tres partes philoſophiæ totius mundi chymici; vel quia ſciebat componere tria genera ſulphurum, nempè, ſulphur vegetabile, animale, & metallicum, de quo ſupradiximus, quorum quodlibet in ſuo ordine mundus chymicus dicitur; omnia enim hæc tria ſulphura, mutatis ingredientibus, & materijs, eodem modo componuntur, nempè ex ſpiritu, anima, & corpore, ſiue ex mercurio, & ſulphure, vt ex alibi dictis conſtat; vel quia opus hoc tria habet, ſcilicet, initium, medium, & finem; initium eſt obſeratum, & palpabile corpus; medium eſt ſpiritus fugitiuus, ſcilicet, ſolutio corporis, & ſeparatio animæ ab illo, quę anima ſpiritus dicitur; finis autem eſt firmiſſima medi-

cina

cina humanorum,& metallicorum corporum; vel quia ter opus eſt repetendum, vt medicina perfectam vim habeat, ac ſatis vtilem proiectionem efficiat; vel dicit ſe habere tres partes philoſophiæ totius mundi; quia ſciebat lapidem, ſiue ſulphur ex tribus partibus componi, videlicet ex ſpiritu, anima, & corpore; vel denique, quia tria ſunt neceſſaria, vt componatur philoſophorum lapis, & ſulphur, nempè, aurum, argentum viuum, & menſtruum; ſiue aurum, ſi ad rubrum, argentum ſi ad album operaberis, & mercurius: vel denique, quòd ſciret componere ſulphur ex terra auri; deinde cum illo, & mercurio formare medicinam; ac vltimò ipſam medicinam in infinitum multiplicare, quæ ſunt tres principales partes huius mundi, ſcilicet, lapidis, ſiue medicinę philoſophicę, & tranſmutatoriæ.

Tan-

Tandem concludit: *Completum eſt, quod dixi de operatione ſolis:* quia præcipuum Hermetis intentum fuit, in hac Tabula explicare modum efficiendi nobiliſſimum ſulphur philoſophorum, ex anima, & terra auri, & ſeparandi elementa ab ipſo auro, ac denique reducendi aurum in oleum, quæ omnia clara ſunt ex alibi à nobis explicatis.

Explicantur quidam verſus Arnoldi de Villanoua, quibus lapidis effectio continetur.

CAPVT II.

Si fixum ſoluas, faciaſque volare ſolutum,
Et volucrem figas, faciam te viuere tutum:
Coniuncta diſiunge, rurſus diſiuncta reiunge:
Liqua duratum, dura liquatum, dicam

dicam te beatum.
Arſenicum fore dic animam, ſed ſpiritus extat.
Argentum viuum, calx corpuſque dicitur eſſe.

EXPLICATIO.

SI *fixum ſoluas, &c.* Aurum vulgare eſt iſtud fixum, quod calcinatur, & ſoluitur, & eius anima, ſeu ſpiritus ſeparatur: quæ anima poſtea nutritur terra auri, prius calcinata, & purgata, vt iam dictum eſt, ſimulque coagulantur, & ſublimantur in aurum philoſophorum; & tunc aurum ſolutum volare dicitur, & volucher nuncupatur.

Coniuncta diſiunge, &c. Vt autem volucrem facias, debes coniuncta diſiungere, hoc eſt, debes ſeparare animam à terra auri; & rurſum diſiuncta reiungi debent, ſcilicet animam ſuo corpori,

pori, ſiue ſuæ terræ reuniendo. Tunc autem.

Liqua duratum, dura liquatum, *&c.* Nempè hoc ſulphur oleo ſolis incera, & coagula.

Poſſunt autem aliter explicari, vt ſequitur. Solue aurum cum aqua mediæ ſubſtantiæ, ac facta ſolutione, & ſimul putrefactis, ſeparantur elementa chymica, & rurſus diſſiuncta elementa reiunguntur, ac ipſorum terræ vniuntur; ac ſublimantur in perfectiſſimum ſulphur; quod ſulphur dicitur volucher, quod toties cum oleo ſolis imbibitur, coagulatur, & ſublimatur, vt amplius ſublimari non poſſit, ac tunc volucher fixatus eſt.

Arſenicum fore dic animam, *&c.* arſenicum eſt ipſa anima auri, quę ſeparata à corpore, ſiue à terra vocatur ſpiritus, & argentum viuum philoſophorum; calx verò eſt ipſa terra auri calcinata, cui anima reunitur. *Expo-*

Exponuntur ea, quæ Frater Baſilius Valentinus de lapide philoſophorum dixit.

CAPVT III.

SI volueris iuxta huius inſignis doctoris regulas lapidem creare, & perficere. Habeas aurum ter per antimonium purgatum, & poſtea benè calcinatum, deinde ablutum, & exſiccatum. Similiter habeas mediam ſubſtantiam optimè factam; ex iſtis mixtis cum menſtruo vegetabili, vel animali fac vnum ſpiritum, ſeù vnam mercurialem aquam; iſti duo ſpiritus continent tertium, quia ex illis fiet terra foliata, quæ, vt dicetur infra, iterum cum iſtis duobus ſpiritibus ſoluta, fiet ex tribus ſpiritibus vnus tantùm ſpiritus. Ex illis autem duobus ſpiritibus vnus dicitur albus, vt nix, & eſt aqua

mediæ ſubſtantiæ, alius verò rubeus, vt ſanguis, & eſt mercurialis pars auri. Ex iſtis autem duobus ſpiritibus ſic mixtis facies cum terræ elemento terram foliatam, ſiue ſulphur per ſublimationem; hæc autem terra foliata eſt rex, aqua veró mediæ ſubſtantiæ ſole animata dicitur regina; ſicut etiam terra foliata vocatur aer (hæc tamen nomina etiam animæ ſolis conueniunt) igneus mas, & aqua permanens. Igitur pondera hanc aquam permanentem, ſeù hunc marem igneum, & eum paſce vno candido cygno, candidus autem cygnus eſt Regina; ſic autem paſces, & nutries, vniendo vnam partem candidi cigni cum duabus partibus ignei maris, ſimulque in vaſe vitreo contundendo, vt ſe adinuicem interimant, & mas fiat fęmina, & fixum volatile, ac aer, ſeu terra foliata fiat aqua; tunc decoque, vt ſimul coagulen-

gulentur, & volatile fiat fixum, & ex fęmina mas fiat. Iterum autem nutries cum vno candido cygno, & facies, vt ſupradictum eſt; & ſic reitera quouſque ſupra pondus terrę foliatę ei addideris duo pondera plùs candidi cygni: tunc ſimul decoque, vt ambo euaneſcant, & in vnum corpus cohęreant, hoc eſt, vt ex illis fiat vna materia cocta; aduerte tamen, vt non fiat vnum fruſtrum metalli, ſed tantùm, vt ſit puluis, ſeu materia pulueriʒabilis.

Nunc autem pone hanc materiam piſtatam in vitro apto, & cum menſtruo vegetabili, vel animali digere, & ſolue in aquam, & pluries hanc aquam per humilem retortam, ſiue per collum retortum diſtilla, quo autem pluries diſtillaueris, eò lapis perfectior, & operoſior eueniet. Nunc autem matrimonium inter ſponſum, & ſponſam feciſti.

Poſtea hanc aquam pone (prius ſeparato menſtruo per leuem diſtillationem) in parua boccia, cuius venter ſit ad modum oui, & non ſit dicta aqua plena niſi ad tertiam partem, eiuſque orificium ſit hermeticè ſigillatum, & collum breue habeat: bocciam deinde pone in vaſe triplicis munitionis, vel in athanore, & decoque leui calore: in decoctione varij colores apparebunt, & primò quidem nigredo, quæ ſignum erit putrefactionis; deinde ſuccedent alij colores, vt alibi clarius explicabitur: decoctio autem continuabitur quouſque lapis ſit fixatus, & ſit rubicundus, vt papauer ſylueſtre.

Hunc lapidem poteris multiplicare, ſed in virtute tantùm, ſi illum cum menſtruo ter ſolu as, & qualibet vice, ſeparato menſtruo, coagulabis. Poteris autem illum multiplicare in virtute, & quantitate in infinitum, ſed ad minus

ter

ter eſt multiplicandus, vt magnæ proiectionis ſit, illum ſoluendo in aqua mediæ ſubſtantiæ ſole animatæ, ac ſimul decoquendo, deinde cum menſtruo ſoluendo, & diſtillando, & faciendo omnia, vt ſupra.

In hac autem multiplicatione ſuperius fit inferius, viſibile inuiſibile, palpabile impalpabile, & fixum volatile: deinde per coctionem iterum inferius fit ſuperius, inuiſibile viſibile, impalpabile palpabile, volatile fixum, & occultum manifeſtum.

Aduerte autem à Fratre Baſilio Valentino terram foliatam vocari oleum incombuſtibile, & ſal philoſophorum. Per alios verò aqua mediæ ſubſtantiæ mixta cum aqua, ſiue cum mercurio ſolis dicitur oleum incombuſtibile; terra autem foliata, ſal, ſiue ſulphur philoſophorum.

Tabulæ vniuerſalis dicti Fratris Baſilij Valentini dilucida interpretatio.

PRimò Leonem coronatum ponit, & eſt ſulphur metallicum rubificatum.

Secundò ponit Aquilam coronatam,& eſt mercurius, ſiue aqua mediæ ſubſtantiæ dicto ſulphure impinguata, & animata, ita quod ſint vna aqua.

Tertiò ponit Serpentem coronatum,& eſt dicta aqua compoſita ex ſulphure, & mercurio mediȩ ſubſtantiæ, quæ decoquitur in furno triplicis munitionis, ſed adhuc non eſt complete decocta.

Quartò ponit Draconem alatum, cum ore aperto, & eſt lapis longo tempore,& perfectè coctus. Nam ſerpens inueteratus fit Draco; os verò apertum tenet, quia

omnia

omnia deuorat, & ſecum fixat, dùm in multiplicatione aqua ſole animata nutritur, ac iterum decoquitur, & fixatur.

Poſtea deſcribit per figuras colores varios, qui in decoctione lapidis apparere ſolent. Primo ponit, coruum quia in decoctione primus color, qui conſpicitur eſt nigredo. Secundo ponit Pauonem, quia poſt nigredinem inconſtans varietas colorum videtur. Tertio ponit cygnum, & eſt color albus in decoctione apparens; & dicitur, quòd tunc lapis ad album ſit præparatus. Quarto, & vltimo ponit Pellicanum, qui ex pectore ſuo proprium ſanguinem eruit, vt illo pullos ſuos nutriat, & eſt lapis fixatus, & ad perfectiſſimã rubedinem redactus; qui ſuo ſanguine pullos ſuos nutrit, dùm iterum cum aqua mediȩ ſubſtantiæ animata imbibitur, ſoluitur, & vſque ad fixitatem, &

perfectam rubedinem decoquitur: hoc autem eſt lapidem multiplicare, & ſic poteſt in infinitum multiplicari, ad minus autem ter eſt multiplicandus, vt lapis perfectiſſimus eueniat. Lapis autem fixatus incerandus eſt, vt poſtea cum illo fiat proiectio.

Quomodo ex quadam experientia, quam Auctor in Germania vidit, philoſophorum lapis ſit componendus.

CAPVT IV.

SI volueris hac via procedere. Accipe libras duas ſalis cibi, hoc eſt, illius ſalis nitri, quod remanet in fundo vaſis, dum fit ſalnitrum, & italicè vocatur, *Salaccio*; & libram vnam ſalis gemmæ piſta, & miſce ſimul, ac ab illis per diſtillationem more ſolito ſpiritum

tum extrahe. Deinde recipe partem vnam mercurij non falſificati, & purgati, eique ſuperpone quatuor partes dicti ſpiritus, & agitando vas,fac,vt benè miſceantur; & per arenam diſtilla ſpiritum, ſed paruo calore, ne mercurius aſcendat, aut diſtilletur, ſpiritu diſtillato, ſine retortam frigefieri, & mercurio iterum ſuperpone quatuor partes noui ſpiritus, & ſpiritum diſtilla, vt ſuprà; & hoc in totum quater repete, eadem menſura ſeruata.

Poſt vltimam imbibitionē ſpiritum diſtillabis ad perfectam mercurij ſiccitatem: tunc autem, augendo valde ignem, mercurium ſublimabis, qui erit tanquam nix albus.

Hinc accipe huius ſublimati partes tres,& partem vnam reguli antimonij, & ſimul in mortario vitreo ſubtiliſſimè piſta, vel macina; materiam piſtatam pone in

retorta colli lati, eique recipiens appone, & per arenam, vel cineres igne leui diſtilla, & diſtillabitur parum aquæ, & quædam materia viſcoſa, ac magna quantitas in collo retortæ congelata remanebit; tunc auge parum plus ignem, & aſcendet totum id, quod aſcendere poterit. Tunc accipe diſtillatum, ac totum id, quod aſcendit, fæces autem proijcies, ac iterum ſimul macina, & pone in alia retorta, vel in eadem retorta, prius abluta, & diſtilla vt ſupra, & in principio exibit parum plus aquæ, quam antea, deinde alia materia, vt lac, poſtea auge ignem, vt aſcendat totum id, quod aſcendere poteſt; tunc abijciendo caput mortuum, ſiue fæces, iterum accipe diſtillatum, & quod aſcendit, & fac, vt prius, & diſtilla; & diſtillabitur aqua in maiori quantitate, & ad collum retortæ remanebit quædam materia tanquam cry-
ſtalli;

ſtalli; auge tunc ignem, vt aſcendat quidquid aſcendere poterit. Hoc autem opus, eodem modo ſeruato, octo vicibus reiterabis, ſingulis vicibus fæces, ſiue caput mortuum abijciendo. In iſtis autem reiterationibus aqua viſcoſa, quæ in illo collo torto remanebat, mutabitur in glaciem, ſiue in cryſtalla, & cryſtalla in aquam limpidiſſimam. Hæc verò aqua vocatur aqua benedicta, & aqua mater.

Deinde in tribus partibus huius aquæ ſolue ad balneum mariæ, vel ſupra cineres leuiter calidos partem vnam finiſſimi auri, vulgariter calcinati, vel foliati; vel ſolue in ea tantum de auro, quantum ſoluere poteſt, non enim de illo plus ſoluet, quam indiget. Hęc autem ſolutio fiat in boccia capaci, ac optimè ſigillata.

Operarij autem, quos vidi, hac methodo laborantes, vlterius pro-

gredi ignorantes, poſuerunt hanc materiam in vaſe vitreo, quod hermeticè ſigillatum poſuerunt ſuprà cineres calidos, ſed diſcoopertos, ad coquendum. Tu verò ſic facies. Hanc aquam benedictam, & ſole animatam diſtilla ad minus ter; & vitro apto poſito in athanore decoque, & fixa.

Hinc ſolue hanc terram cum duabus, vel tribus partibus benedictæ, & animatæ aquæ, eaſque ſimul diſtilla per humilem retortam: vel per partes nutries terram, & decoques ſimul in terram; hanc cum menſtruo ſolue, diſtilla ſimul; & ſeparato menſtruo, iterum coquatur, & fixetur. Deinde pone in ouo vitreo, vt tantum illius ventris tertia pars ſit plena, & hermeticè ſigilla. Vitrum pone in vaſe triplicis munitionis, & calore debito coque vſque ad fixationem, & habebis lapidem prima vice factum.

Lapi-

Lapidem hunc in mortario vitreo benè piſta; & miſce cum duabus, vel tribus partibus benedictæ, & animatæ aquæ, ac ſimul ſolue, & diſtilla, ac iterum decoque, & fixa.

Denuò hunc ſecundum lapidem pulueriza, & ſimul cum ipſius benedicta, & animata aqua fac omnia vt ſupra; & ſic habebis perfectiſſimum lapidem, qui ſi oleo ſolis inceretur, altiſſimam habebit proiectionem. Hoc autem pacto lapis multiplicari poterit ad tuum beneplacitum.

Poteris etiam multiplicare in infinitum hunc lapidem, vt ſequitur. Fac malgama ex tribus partibus mercurij bene loti, & parte vna auri vulgariter calcinati, eique adde partem vnam dicti lapidis, bis, vel ter iam multiplicati, vt ſupra; quæ omnia in mortario vitro bene ſimul contunde, & miſce; poſtea coque, vt fiat puluis;

deinde ſolue cum menſtruo vegetabili, vel animali, & ſimul diſtilla; poſtea per leuem diſtillationem menſtruum ſepara; deinde materiam decoque, & fixa. Iterum fac malgama vt ſupra, apponendo etiam partem vnam huius medicinę nunc multiplicatæ, & fac omnia, vt ſupra. Et ſic potes in infinitum multiplicare, ſemper malgamæ apponendo partem vnam medicinæ vltimò factę, & fixatæ. Tandem incera medicinam oleo ſolis, & fac proiectionem.

Poteris tamen ſic etiam procedere, videlicet poſtquam ſoluiſti in aqua benedicta aurum, tunc huic benedictæ, & animatæ aquæ adde aliquam portiunculam optimi auri vulgariter calcinati, & benè aperti, & in vitro hermeticè ſigillato, ac in furno triplicis munitionis decoque, & fixa; iterum materiæ fixatæ adde duas, vel tres partes dictæ benedictæ, & anima-

tæ aquæ, ſimul ſolue, & fac omnia, vt ſupra, & hoc ter repete; deinde multiplica faciendo malgama, eiq; vniendo partem vnam huius materiæ fixatæ, & procedendo, vt ſupra diximus; & ſic potes medicinam ad tuum placitum multiplicare. Tandem oleo ſolis incerabis, & proiectionem facies.

Opus etiam bonum eueniet, ſi aquam benedictam ſole animatam decoques in furno triplicis munitionis, quouſque terra fiat, & fixetur: ac iterum terram fixatam ſoluas in aqua benedicta ſole animata, menſura, vt ſupra ſeruata, & decoquas, & fixes; & hoc ordine ſeruato, poteris in infinitum tuam medicinam multiplicare; ad minus tamen opus hoc ter eſt repetendum. Deinde incera, & fac proiectionem.

Supradicti Operarij, fixata illa benedicta, & animata aqua, illa, vt ſequitur, vtebantur: proijcie-

bantur: proijciebant illam ſuprà ſtannum purgatum, ſi erat ad album præparata; ſi verò ad rubrum ſuprà plumbum purgatum. ſtannum verò, & plumbum ſic purgabant: fundebant ſtannum, vel plumbum, & ſic fuſum relinquebant ad ignem, quouſque nihil amplius coloratum ad ſuperſiciem expueret, vel tranſmitteret; coloratum verò ad ſuperficiem tranſmiſſum ſpatula lignea leuiter ad partem vaſis reducebant, & proijciebant. Deinde de dicta medicina ſuper plumbum, vel ſuper aliud proijciebant. Poteris etiam illa vti ad fixandum argentum viuum.

Vel etiam illa vtebantur ſequenti modo. Vertebant plumbum, vel ſtannum in mercurium; (modus autem vertendi tam metalla perfecta, quam imperfecta ſuo loco explicabitur;) deinde bene miſcebant vnciam vnam

dictæ

dictæ medicinæ cum ſex vncij mercurij ſaturni : hinc in vitro optime ſigillato coquebant ſupra cineres, vel ſupra arenam, prima die cum vno lumine, ſecunda die cum duobus, tertia die cum tribus, & quarta die cum quattuor, & ſic per quadraginta dies continuabant. Iterum cum vncijs quatuor, vel ſex mercurij ſaturni miſcebant vnciam vnam huius ſecundæ medicinæ, ac ſimul malgamabant, & decoquebant, & erat medicina, & ſic ad ipſorum beneplacitum continuabant, & multiplicabant. Tandem cum hac medicina faciebant proiectionem, vel ſupra ſtannum, aut ſupra ſaturnum, prout medicina erat præparata. Melius tamen eſſet illam ad album, ſiue ad rubrum cum oleo ſolis, vel lunæ incerare ;& hinc proiectionem facere.

Poni-

Ponitur modus quidam breuiter medicinam componendi.

CAPVT V.

EXplicanda eſt alia breuis medicina, quà quilibet Artiſta poterit ſuæ indigentiæ ſubuenire. Accipe ergo vitrioli romani libram vnam, ſalis nitri libras quinque, cinaprij vncias tres, terantur omnia per ſe, ac poſtea ſimul, & per alembicum, ſeù retortam in cineribus diſtillentur: prima aqua, quæ exit, non eſt bona, ſed ſecunda, quæ eſt rubra, & cognoſcetur, quando vas fit rubrum; in iſta autem ſecunda aqua leuiter calefacta pone, & ſolue vnciam vnam argenti puri lapillati; & in alio vaſe cum eadem aqua calida pone, & ſolue vnciam vnam mercurij à vitriolo, & ſale communi ſublimati, ſeu noſtræ mediæ ſubſtantiæ:

cum

cum verò tàm argentum, quam mercurius ſolutus fuerit, ambas aquas miſce, ſed cautè, ac per partes, & non vno tractu; tunc per alembicum diſtilla tertiam partem aquæ, & deinde pone vas ſub fouea terræ in loco frigido, & humido, vt in cellario per quindecim dies, & fient in fundo vaſis cryſtalla lapillata, tunc aquam euacua, & decanta per inclinationem, & lapillos, ſiue cryſtalla aqua pluuiali calida ablues, hæc tamen ablutio à multis omittitur: dictos autem lapillos in vitro benè clauſo pone ſub fimo equino per menſem, & reſoluentur in aquam; vel illos tandiù tene ad balneum vaporoſum, vt in aquam ſoluti ſint.

Hanc aquam poſtea pone ſub cineribus ad ignem lucernæ per menſem, ac plus, & indurabitur materia ſicut lapis. Aduertendum eſt, quod ponendo dictos lapillos in boccia, vt duæ, vel tres

ipſius

ipſius ventris partes vacuæ remaneant. Poſtea contere, & diſſolue per menſem ſub fimo equino, vel in balneo vaporoſo; ac iterum ad cineres congela, vt prius feciſti. Hoc autem ſoluere, & congelare toties reitera, vt videas ipſam materiam ſolui, & non amplius congelari. Huius medicinæ pars vna cadit ſupra triginta partes mercurij purgati, & calefacti, eumque in verum argentum fixat; ſimile faciet in ſaturnum, iouem, & venerem. Sciendum autem, quòd ſi loco lunæ poſueris aurum, medicina vertet martem, venerem, ſaturnum, ac mercurium in ſolem optimum.

Notandum, quòd ſi lapillos piſtatos, ablutos, & exſiccatos ſolueres in menſtruo vegetabili, vel animali; deinde, ſeparato menſtruo, materiam ad cineres decoqueres, & hoc toties reiterares, eodem modo ſoluendo cum men-

ſtruo,

ſtruo,& ſeparato menſtruo, exſiccando, quouſque non poſſet amplius congelari;eſſet oleum fixum, quod dictas proiectiones,& tranſmutationes cum maiori lucro faceret. Vel poſſes dictas cryſtalla cum menſtruo ſoluta toties, & per ſe circulare, vt oleum fixum euaderent; quod ſolet intra viginti, aut vigintiquatuor circulationes fieri, & qualibet die vna circulatio abſoluitur, quod oleum optimam etiam faciet proiectionem.

Supradicta verò medicina in infinitum multiplicari poteſt, vt ſequitur. Habeas de ſupradicta aqua acuta, & rubra, de qua in principio; in ea ſolue vncias tres puriſſimæ lunę (poteris etiam cum ſole ad rubrum operari, vt dictum eſt) & vncias tres mercurij ſublimati, vt ſupra, & ſinantur ſolui in aquam claram, ac illis adde vnciam vnam, vel duas dictæ

medi-

medicinæ ; deinde pone in vaſe vitreo clauſo, & vas ponatur in cellario frigido, & intra nouem dies ibunt ad fundum lapilli cryſtallini, quos ſub fimo, vel in balneo vaporoſo intra nouem dies diſſolue,& ad ignem cinerum congela, & fac, vt ſupra; & eſt tota medicina;& vna pars cadit,& proiectionem facit ſupra centũ partes metalli imperfecti, ac mercurij. Sic autem potes medicinam multiplicare in virtute, & quantitate, & ſemper vberiorem proiectionem faciet. Poſſes etiam dictos lapillos multiplicatos ſoluere cum menſtruo vegetabili, vel animali, vt ſupra. Si autem medicina decoqueretur, vt fixus puluis, vel pulverizabilis eueniret, tunc ante proiectionem oleo ſolis, vel lunæ inceranda eſſet.

Fiunt

Fiunt diuerſæ mineræ perpetuæ, ex quibus magnum prouenit lucrum.

CAPVT VI.

PRima minera. Debet in primis fieri menſtruum, quo aurum,& argentum in mercurium reducantur. Igitur calcina in fornaci vitrea tartarum Bononienſem, vel ſimilem, qui in dolijs potentis vini reperitur, calcinatio verò fiat in olla noua, vitreata, & cooperta:deinde tartarum infrigidatum ſubtiliſſimè piſta, & bene imbibe cum aceto vini potentis ter diſtillato; poſtea hic tartarus in boccia ponatur, & per alembicum igne lento diſtilla humiditatem, & in boccia tartarus ſiccus remanebit; illum extrahe, iterum piſta, & aceto diſtillato, vt ſupra imbibe, ac denuò humiditatem

per

per alembicum bocciæ diſtilla ; & ita ſepties in totum reiterabis , & habebis tartarum ſpiritu aceti diſtillati ſufficienter impinguatum .

Deinde hunc tartarum , (qui erit ſpongioſus , & vt mel ,) pone in parua boccia optimè lutata , cum ſuo alembico , & iuncturis bene clauſis ; bocciam verò pone ad furnellum , & da ignem mediocrem in principio , cumque poſtea auge, vt fieri ſolet, dum aqua fortis diſtillatur ; & egredietur aqua pulcherrima, & fortiſſima apta ad ſubtilianda omnia corpora metallica .

Nunc recipe huius aquæ acutæ partes ſeptem , & partem vnam ſalis armoniaci perfecti, & in dicta aqua acuta diſſolue . Deinde accipe vncias duodecim finiſſimæ lunæ vulgariter calcinatæ , (vel ſolis puriſſimi , & vulgariter calcinati, quantum vis, ac vt ſecundum

vires

vires tuas poteris) eamque cum dicta acuta aqua, in qua armoniacum ſal ſoluiſti, imbibe, & parum exſicca; iterum imbibe, & parum exſicca; hoc autem imbibere, & parum exſiccare pluries reitera; poſtea dictam calcem ſic imbibitam, & impinguatam pone in boccia, eique ſuperpone de dicta aqua, vt calci vno digito ſupereminneat: deinde os bocciæ cera, & maſtice ſimul ſolutis obtura, vel aliqua alia tenaci mixtura, ita vt reſpirare non poſſit; tunc pone bocciam in loco frigido, & humido, vt in cellario per dies decem. Hoc tempore tranſacto, accipe bocciam, eius os aperi, & materię ſuperpone de dicta aqua acuta, vt tribus digitis calci ſupereminneat; poſtea os bocciæ claude, vt ſupra, bocciamque ſepellies infra fimum equinum per quindecim, aut viginti dies; ſingulis autem diebus fimum mutabis; quibus tran-

tranſactis, extrahe de fimo bocciam, eamque ab externis ſordibus linteo munda, eique appone alembicum, & iuncturas benè obtura, ac leui diſtillatione fac aquam acutam tranſire; aqua verò diſtillata, da ignem ſublimationis, & mercurius aſcendet; luna autem, ſeù pars illa, quæ in mercurium verſa non erit ſummitati capelli adhærebit.

Tunc accipe de dicto mercurio, qui aſcendit vncias duas, & de luna, quę ſummitati capelli ahhæret vnciam vnam, & ſimul amalgama, hoc autem malgama pone in vrinali vno palmo alto, cuius os paruum, & anguſtum ſit, quantum fieri poterit, illudque vitreo cooperculo claude, & vlterius iuncturas bene obtura cum albumine oui, farina, calce, & carta emporetica piſta, ex omnibus faciendo paſtam. Tunc pone vitrum in furnello, & ſub fundo vrinalis

pone lucernam cum quatuor filis accenſis, flamma tamen vno, aut duobus digitis à vaſe diſtabit, fundum autem vaſis erit cum aliqua groſſitie lutatum, ne à continuo calore, & à propinquitate flammæ luminis frangatur: vel, vitrum pones ſupra cineres, aut ſupra arenam competenter calidam, ac ſi daretur lucernæ calor. Decoques autem quouſque malgama ſit coctum, & in puluerem redactum, vel quòd puluerizari poſſit; id ſolet intra quadraginta dierum ſpatium euenire. In principio verò coctionis calor ſit tenuis, poſt quindecim dies illum aliqualiter auge per octo dies, deinde parùm plus auge vſque ad finem: ſic iam habes mineræ perpetuæ originem, atque initium.

Hinc autem accipe mercurium vulgarem optimum, eumque ſepties ablue cum ſucco limonum, & ſale, deinde cum aqua pluuiali; poſtea

poſtea ex vncia vna huius mercu-
rij, & vncijs tribus dicti pulueris
fac malgama, quod pone in paruo
vrinali, cuius os ſit obturatum, ac
vitrum colloca ad ignem lucernæ
per viginti quatuor horas: tunc
iterum amalgama materiam co-
ctam cum alia vncia dicti purgati
mercurij, & decoque per viginti
quatuor horas, vt ſupra; hoc autem
repete ſemper cum noua vncia
mercurij amalgamando, quouſ-
que decem vncias pulueris fixi
habeas.

Hinc dictos pulueres in duas
partes diuides, & quinque vncias
reduces in corpus, vt infra dicetur;
ſed priuſquam in corpus reducan-
tur, illas poteris, ſi opus erit ma-
gis, & per longiorem decoctionem
fixare. Alijs veró quinque vncijs
adde vnciam vnam mercurij pur-
gati, ſimul amalgama, & per vi-
gintiquatuor horas decoque, vt
ſupra: tunc accipe vnciam vnam
pulue-

pulucrum, eamque pone cum dictis quinque vncijs ſuperius ſeparatis, quas ſupra cineres poſuiſti, vt magis fixarentur; loco autem huius vnciæ ablatæ, pone aliam vnciam noui mercurij, & coque vt ſupra; ſic autem ſemper, & in infinitum continuabis, accipiendo vnciam vnam pulucrum, & addendo aliam vnciam noui mercurij, ac per horas vigintiquatuor decoquendo. Si tamen loco puri mercurij adderes mercurium luna, vel ſole animatum, prout minera erit ad album, vel ad rubrum præparata, melius eſſet; poteris autem ſic animare mercurium, vt cum duodecim vncijs illius ponas vnciam vnam auri, vel argenti vulgariter calcinati, ac benè aperti, vel ſaltem foliati, & per camuſſium filtres, vt ambo tandem ſimul per corium tranſeant.

Vt veró dictos pulueres fixatos in corpus redigas, funde prius in

crucibulo vnciam vnam ſiniſſimi auri, vel puri argenti, prout minera erit diſpoſita; & argento fuſo ſuperpone vnciam vnam dicti pulueris fixi charta obuolutam, non autem totam ſimul, nec vno tractu, ſed per partes, & virga lignea materiam miſce quouſque poſueris, & benè incorporaueris totam puluerum vnciam cum argento, vel cum auro fuſo: quando verò totum erit ſimul congelatum materiam è crucibulo extrahe, eamque pone in alio crucibulo, ac iterum funde, ac materiæ fuſæ denuò adde, ſed per partes, vt ſupra, aliam vnciam dicti pulueris fixi, & faciendo omnia vt ſupra, fuſionem poteris proſequi, quòuſque totus puluis in corpus ſit redactus, quem in virgam proijcies, vt moris eſt.

Hæc autem minera poteſt ad rubrum fieri, ſi initium mineræ facias ex mercurio auri, & ipſo

auro. Si autem operatus fueris ad album cum argento, vt ſupradixi; ſi poſtea argentum artefactum ponatur ad aquam ſeparationis, dabit magnam auri quantitatem, præcipuè ſi vſus fueris mercurio, qui in cochleari puri argenti ſupra carbones ab igne euolans, ipſum cochlear flauedine tinctum relinquat.

Aduertendum, quod ſi hanc mineram, vel quamcunque aliam mercurio animato nutritam, ſolueris cum menſtruo vegetabili, vel animali, ſimulq; bis, vel ter cum humili retorta diſtillaueris; & ſeparato menſtruo materiam decoxeris, fixaueris, & tandem inceraueris, habebis bonam medicinam, quæ abundantem proiectionem faciet.

Secunda minera. Recipe mercurij optimi, & benè purgati vncias tres, & lunæ cupellatæ, & vulgariter calcinatæ, aut foliatæ,

aut ſolis puriſſimi etiam vulgariter calcinati, aut ſaltem foliati, vnciam vnam, ſimul amalgama, & fac ſimul per corium tranſire; vel amalgama noſtro particulari modo, quem infra ponemus: poſtea decoque ſupra cineres, vel ad lumen lucernæ per triginta, aut quadraginta dies, dando in principio ignem leuem, deindè illum ſingulo octi duo augendo, ſed non nimium, ne materia metalliſetur, ſed eueniat puluis, vel pulueriſabilis. Si decoques cum lucerna, fundum bocciæ lutabis, ne vas frangatur. Iterum accipe tres partes mercurij, vt ſupra, (ſi mercurius eſſet ſole, vel luna animatus, eſſet melior, ſed illum animare non eſt neceſſe,) & partem vnam materiæ decoctæ, & benè pulueriſatæ, ac ſimul amalgama, & decoque, vt ſupra. Tertiò fac nouum malgama, & decoque, vt ſupra: Hoc autem tertium malgama

gama eſt initium, & radix perfectæ mineræ, quæ ſucceſſiuè, & in infinitum mercurium purgatum fixabit, addendo illi nouum mercurium, ſemper tamen notabiliter in minori quantitate, quàm ſit ipſa minera, ac vt ſupra coquendo. Quando verò habebis in bona quantitate de materia cocta, ſeparabis vnam partem, relinquendo aliam pro mineræ continuatione; partem verò ſeparatam, ſi opus erit, magis fixabis, & cum balneo auri, vel argenti in corpus reduces, aut cum magno balneo plumbi cupellabis.

Si tamen ante fuſionem, & reductionem in corpus, dictam materiam coctam ſolueres in aliqua ex noſtris aquis graduatorijs, & tingentibus, maiorem quantitatem auri haberes, & materia perfectius fixaretur.

Tertia minera, quæ fit cum ſale philoſophorum. Recipe tar-

tari calcinati libras duas, & cum aqua pluuiali calida fac extractum, & extractum decanta, & per pannum lineum filtra; iterum ab eodem tartaro cum alia aqua calida fac extractum, ac decanta, & filtra; hoc autem toties reitera, quòd ex tartaro tantum remaneant fæces impuræ; tunc omnes extractiones ſimul ad ignẽ, euaporando aquam, exſicca. Tartaro verò exſiccato, & adhuc calenti ſuperpone de phlægmate ſpiritus vini, vt tartarus ſoluatur, & per filtrum decanta; & ſic reitera, quò vſque totus ſit ſolutus, & decantatus, ac filtratus, vt ſupra feciſti cum aqua calida; tunc iterum congelabis, ac denuò cum nouo phlægmate ſolues, filtrabis, & congelabis, & hoc toties repetes, donec tartarum in forma cryſtalli habeas.

Hinc recipe partem vnam huius tartari cryſtallizati, & mortario vitreo

vitreo pulverizati, & partes tres puriſſimi ſpiritus vini, miſce ſimul, vt dicta cryſtalla cum ſpiritu vini ſoluantur, & ſic toties per bocciam diſtilla; donec omnia ſimul diſtillentur, diſtillatum ſupra non diſtillatum reponendo.

Deinde amalgama vnciam vnã lunæ, vel auri vulgariter calcinati, aut ſaltem foliati cum tribus partibus mercurij optimè purgati; hoc autem malgama in boccia per viginti dies ad leuem cinerum ignem decoque: tunc materiam extrahe, eamque in mortario vitreo contunde, & piſta, & deinde pone in boccia cum quatuor partibus ſupradicti menſtrui, & ore bocciæ optimè obturato, in balneo vaporoſo, aut leuiſſimo cinerum calore digere, & putrefac per quindecim dies: tunc adde plus de dicto menſtruo, vt materia benè, & perfecte ſoluatur, & pluries per humilem re-

tortam diſtilla, vel circula; vt oleum fixum euadat, quo poteris argentum viuum in lunam, vel ſolem fixare, vt alibi dictum eſt. Vel poſt ſolutionem, & trinam diſtillationem, non circulabis, ſed per diſtillationem leuem ſeparabis menſtruum, & materiam in parua boccia, ore hermeticè ſigillato, fixabis, eam in furno triplicis munitionis decoquendo. Tunc materia cocta vti poteris, vel pro minera perpetua, vt ex dictis conſtat, aut poteris illam multiplicare, addendo mercurium ſole, vel luna animatum, decoquendo, ſoluendo, & fixando, vt ſupra: deinde incerabis, & proiectionem facies.

Poteris verò, vt ſequitur, calcem philoſophorum efficere, & cum illo mineram perpetuam componere, & inſtituere. Accipe igitur vncias tres mercurij lunæ, vel ſaturni, aut antimonij,

vel

vel alterius metalli imperfecti; & amalgama cum vncia vna puriſſimi auri foliati, aut vulgariter calcinati: pone hoc malgama in parua boccia benè obturata, & decoque ad ignem cinerum, aut lucernæ ad minus per triginta dies, & fiet puluis, vel materia pulucrizabilis: quem puluerem pones in vaſe terreo, optimè ſigillato, ac vas pone ad ignem reuerberi per quatuor dies, dando ignem leuem in principio, ſiue prima die, quem ſingulis diebus augebis; & ſic tuum malgma calcinatum erit, & calx philoſophorum vocatur.

Deinde cum vna parte huius calcis, & tribus partibus mercurij vulgaris benè loti, & purgati fac nouum malgama, & coque ad ignem lucernæ, vt ſupra: materiam hac decoctam iterum amalgama cum alio mercurio vulgi, vt ſupra, & decoque, & intra pau-

eos dies fiet puluis: hoc autem opus toties reitcrabis, quòd intra viginti quatuor horas malgama erit coctum; & in puluerem redactum: hoc autem ordine ſeruato, habere poteris multiplicationem auri in infinitum. Quando verò fundes, & in corpus reduces iſtos pulueres, ſemper illorum ſufficientem portionem relinques pro mineræ continuatione.

Aduerte, quòd in eodem vaſe terreo cinere, vel arena pleno poteris ſimul multas boccias ponere, in quarum qualibet ſuum ſit malgama, & eodem igne decoquere.

Poteris etiam, vt ſequitur operari.

ACcipe cinnabaris; arſenici; antimonij crudi, ana libr. ſemis; ſalis nitri libras duas; ſulphuris libram mediam; conterantur,

tur, & diſtillentur in aquam fortem igne violentiſſimo. Poſtea accipe huius aquæ fortis partes duas; aluminis communis, & aluminis plumæ, ana, partem vnam, & ſemis; vitrioli romani partem vnam; viridis æris, & croci martis, ana, partem ſemis; hæc autem confuſa, & ſimul mixta cum dicta aqua forti igne violentiſſimo diſtillentur. Tandem ad hanc integram aquam accipe illius capitis mortui duas partes; antimonij crudi; viridis æris; cinnabaris, & ſulphuris, ana, partem ſemis, & omnibus piſtatis, & cum dicta integra aqua mixtis, diſtilla à ſuis fæcibus, fortiter impellendo in vas recipiens. Poſtmodum in hac aqua clarificata ſolue partem vnam lunæ, partem vnam auri, & partes decem florum æris, & croci martis, & in ea digerantur; & inuenies poſtea reſidentiæ plus ad lucrum, quàm ſit arti credibile.

Alio modo fit.

ACcipe auri, prout pictores; non folio, vnciam mediam; vitrioli romani rubificati; æris vſti; croci martis, ana, vnciam vnam; ſalis armoniaci in loco frigido, & humido ſoluti, quantum ſufficit pro humectatione omnium: omnia verò ſic humectata ponatur in loco frigido, & humido, vt ſoluantur. Et poſt ſolutionem, ponantut per viginti dies ad fimum equinum; & deinde ad cineres coagulentur in puluerem viridem: quò verò plus ſolueris, & coagulaueris, eo melius eueniet. Puluis iſte cimentat lunam in aurum purum; fixat etiam mercurium purgatum, vel per proiectionem; vel ſimul amalgamando, & per decoctionem ad leuem ignem cinerum fixando.

Aduertendum autem eſt, quòd quo-

quotieſcumque facienda eſt extractio tincturarum, ſiue vt poſtea ex illis fiant pulueres, ſiue cryſtalla; ſemper extractionem facies cum debita proportione menſtrui, quòd coloratum decantabis; & aliud ſupra materiam appones, & ſic continuabis, quouſque tota tinctura erit extracta, nec amplius menſtruum tingetur.

Aliter etiam poteris ſequentem mineram inſtituere, qua ſucceſſiuè, & in perpetuum mercurius ſaturni in aurum conuertetur, & fixabitur. Accipe talcum flauum, qui in omni igne ſubſiſtat, eumque in fornace lateritia, vel calcinaria optimè calcina donec ad ſummam rubedinem peruenerit. Tunc eum bene puluerizatum in vas vitreum pone in tanta quantitate, vt libuerit; eique ſuperpones de ſpirtu vini valde rectificato, vt duobus, aut tribus

digi-

digitis ſupereminear· deinde optimè vitrum obtura, & bene commoue, atque ſpatio viginti quatuor horarum in leui calore ſupra cineres relinque; tunc enim ſpiritus vini ſummè flaueſſet; vnde ſpiritum vini coloratum in aliud vitrum decantabis,& clauſum ſeruabis. Alium verò ſpiritum ſupra materiam reſtantem affundes, & facies vt ſupra, & iterum colorabitur, & coloratum decantabis, & cum alio decantato repones: hoc autem toties reiterabis,quouſque dictus ſpiritus vini non amplius coloretur. Denique omnes decantationes ſimul ad leuiſſimum calorem diſtilla, & ſpiritum vini ſepara, & in fundo remanebit puluis ſumè ſubfuſcus, qui ſulphur talci dicitur.

Eodem verò pacto extrahes tincturam ab ære vſto, & à vitriolo ſummè rubificato. Quibus peractis, miſce omnes iſtos pulueres,

res, ex omnibus ana, ac ſimul ſuper marmore bene macina. Deinde habeas vnciam mediam finiſſimi auri, bene calcinati, abluti, & exſiccati, cui adde mediam vnciam ſupradicti pulueris mixti, & omnia iterum ſimul macina: & ſic habebis vnciam vnam pulueris præparati. Tunc autem vnciam hanc cum ſex vncijs mercurij ſaturni amalgama bene ſimul per diem integrum in mortario vitreo, vel lapideo contundendo. Deinde in forte vitrum ad ſimilitudinem longi alembici formatum repones, optimè vitrum ſigillando. Poſtea vitrum collocabis ſupra vas arena plenum, & dabis ignem per gradus, quouſque mercurius aſcendere incipiat; & in eo gradu eum poſtea conſeruabis, vſquequò per frequentem aſcenſum, & deſcenſum tandem mercurius amplius non aſcendat, ſed in forma rubei,

ſeu

ſeu laterici ei pulueris remaneat; cui deinde per octiduum ignem augebis, ita quòd vltimò omnia candeſiant, ſiue igneſcant, & ſic ſuam acquiret fixitatem.

Aliqui tamen non dant ignem, ita quod mercurius aſcendat; ſed illum ita attemperant, vt nunquam mercurius à corpore ſeparetur, quare gradus ignis ſic diſtribuunt; per quindecim dies dant ignem leuem, per alios quindecim parùm fortiorem; & per alios quindecim aliquantulum plus augent; tandem per octiduum augent, vt ſupra dictum eſt.

Reductio autem dictæ materiæ in corpus ita fiet. Accipe illius medietatem, eamque imbibe cum oleo tartari facti per deliquium, in quo prius fuerit ſoluta auri fabrorum borax: tere deinde ſuper marmore inſtar pultis; & poſtquam dicta maſſa exſiccata fuerit, aliquid de ea ſuperfuſum ſolem proij-

proijce,& cum incorporata fuerit, denuo aliquid de ea ſuper aurum proijce; (aurum enim ſemper ſuſum monere debet) ſic autem continua, vſque dum tota maſſa cum corpore auri vnita, & in metallum verſa ſit. Alteri verò medietati reſiduæ vnies duodecies tantum, quantum ponderat, de mercurio ſaturni; iterum conterendo ſimul, & decoquendo, vt ſupra diximus. Ac poſtquam denuò fixata fuerit, iterum medietas demi, & in corpus reduci debet, vt ſupra: altera verò medietas rurſus cum mercurio ſaturni, vt ſupra, multiplicabitur; & ſic ſucceſſiuè; & in perpetuum multiplicari poterit.

Non defuerunt, qui omiſſo talco, loco illius acceperunt aurum finum, & ab eo calcinato, cum ſpiritu vini extraxerunt eius tincturam eodem modo, quem de extractione tincturæ talci diximus,

mus, in reliquis verò procedebant, vt dictum eſt.

Declarantur alij modi fixandi mercurium in ſolem, vel lunam: Ponuntur etiam multæ aquæ fortes tingentes, & fixantes, cum quibus multa vtilia fiunt.

CAPVT VII.

IN primis reducendus eſt ſol in mercurium. Igitur amalgama aurum foliatum, aut vulgariter calcinatum cum mercurio, vt moris eſt, deinde in boccia mercurium euapora, vel cum aqua ſeparationis mercurium ſolue, ſolutionem euacua, & decanta; nam aurum remanebit in puluere ad fundum vaſis; quem puluerem cum aqua pluuiali calida elue, & edulcura, ac puluerem

rem aureum exſicca. Deinde aurum exſiccatum macina ſupra porfidum cum ſaccaro candito, & ſale communi decrepitato, & omnia pone in crucibulo per horas quatuor; ſed ignis non ſit nimium vehemens, ne aurum fundatur; poſtea illud ablue aqua pluuiali calida, & hoc toties, quòd aqua, quà eluitur, non am plius ſecum trahat aliquem ſaccari, aut ſalis ſaporem, ac tandem ad competentem ignem aurum exſicca.

Poſtquam ſic aurum vulgariter calcinaſti, & aperuiſti, accipe vncias ſex olei tartari, & vncias ſex aceti diſtillati, ac ſimul miſce, & in illis mixtis ſolue vncias quatuor ſalis armoniaci pulnerizati, vt ex omnibus vna aqua fiat: poſtea cum hac aqua imbibe dictum aurum calcinatum, & ad ignem leuem congela; iterum vt ſupra imbibe, & congela; & hoc

ter

ter repete: Deinde hanc materiam in boccia capaci pone, eique ſuperpone de dicta aqua, vt quatuor bonis digitis materiæ ſupereminieat, & ore bocciæ optime clauſo, ponatur in fimo equino per decem dies, & inuenies aurum in mercurium verſum. Hunc mercurium aqua pluuiali elue, & panno lineo terge, & per corium filtra; vt a ſordibus purgetur.

Deinde accipe de hoc auri mercurio partes duas, & de mercurio lunæ, vel ſaturni, aut vulgari partes quatuor, vel ſex, ſimul miſce, & in parua boccia, ac benè ſigillata, per quadraginta dies decoque, in principio leui cinerum igne, qui deinde parùm augeatur, vt materia omnino fixetur, & erit totum aurum optimum. Vel coque materiam, vt pulueriſetur, aut pulueriſari poſſit, ſed non vt omnino fixetur, ſed quod remaneat inter mor-

mortem, & vitam, & ſit tantum ſemifixa, & tunc ea poteris vti pro minera perpetua efficienda, addendo ei debitam portionem mercurij vulgaris purgati, & decoquendo, ac ſic ſucceſſiuè continuando, vt de alijs mineris dictum eſt.

Poteris etiam cum parte vna ſupradicti mercurij auri, & cum tribus partibus mercurij vulgi, & media parte auri vulgariter calcinati facere vnum malgama, illudque per triginta dies leui cinerum igne coquere, deinde materiam coctam menſtruo vegetabili, vel animali phyſicè ſoluere; ac tunc ſimul per humilem retortam bis, vel ter diſtillare; & poſtea, ſeparato leui diſtillatione menſtruo, materiam decoquere, fixare, & oleo ſolis incerare, & cum illa proiectionem facere. Vel antequam inceretur, poteris illam in infinitum multiplicare, acci-

accipiendo vnam illius partem, & partes tres mercurij ſole animati, miſcendo ſimul decoquendo, deinde cum menſtruo ſoluendo, & faciendo, vt ſupra. Sic enim poteſt in infinitum multiplicari, antequam tamen proiectionem facias, illam ſolis oleo incerabis.

Aliud opus breue, quo fixatur aureum malgama. Cum vncijs tribus, vel quatuor mercurij optimè purgati amalgama vnciam vnam auri foliati, aut vulgariter calcinati, ac pone in parua boccia, eique ſuperpone oleum ſulphuris, vt vno digito materiæ ſupereminéat, & pone vitrum ad leuem cinerum ignem per tres dies. Deinde pone ſupra materiam tantum ſulphur viuum puluerizatum, quantum ponderat malgama; tunc autem oleum ſulphuris euapora; poſtea ſublima, & in fundo vaſis remanebit

mate-

materia fixa; cuius vnam partem proijce ſupra ſex partes lunæ cupellatæ, & fuſæ, quam deinde pone ad aquam ſeparationis, & habebis magnum auri augumentum.

Alia mercurij fixatio. Fac aquam fortem ex vitriolo, & ſale nitro, vt moris eſt, & in ea ſolue mercurium purgatum; ſolutione facta, euapora, aut diſtilla aquam fortem, & habebis mercurium calcinatum; dictam verò calcem aqua pluuiali calida ablue bis, vel ter, vt ab omnibus aquæ fortis ſpiritibus purgetur. Poſtea calcem hanc pone in parua boccia, ſed longi colli, & relinquendo illius os apertum, eam colloca ſupra cineres leuiter calidos; materię autem affunde parum de oleo ſulphuris de phlegmati, vel de oleo compoſito ex dicto oleo ſulphuris, & ex oleo golgotæ, ſiue vitrioli, à quo ſpiritus eius fuerit

ignem, vt fiat puluis rubeus; cum iſto puluere rubeo fac nouũ malgama cũ tribus partibus mercurij ſole animati,ac iterũ,vt ſupra decoque ; ſic eodem modo fac tertium malgama , & coque , vt ſupra ; quælibet autem coctio intra triginta dies abſoluetur . Hinc poteris mineram perpetuam inſtituere , & continuare , vt ſupra dictum eſt .

Antequam tamen dictam materiam , vel mineram fundas , & in corpus redigas , illam in aqua forti ſolue ; ſolutum præcipita ; præcipitatum aqua pluuiali calida ablue,& edulcora,ac exſicca; deinde ſupra aurum, aut ſupra argentum fuſum (ſi operatus ad album fueris) materiam proijce , ac ſimul funde .

Vel ſic facies : materiam coctam ſolue in vna ex noſtris aquis fortibus graduatorijs , & tingentibus , de quibus infra ; eandem

verò aquam ſepties rediſtilla ſupra materiam; in vltima autem diſtillatione aquam fortem diſtillabis vſque ad perfectam materię ſiccitatem, & materia erit fixa, & perfectè colore aureo tincta; quam piſtabis, & aqua pluuiali calida ter ablues, & poſtea cum balneo lunæ, vel auri fundes.

Aduerte, quòd ſi pluries à puro mercurio abſtrahes per diſtillationem vnam ex aquis fortibus tingentibus, ipſe mercurius fixabitur, & dabit aurum in quantitate.

Similiter ſi teneas in digeſtione ſupra cineres calidos cum vna ex aquis fortibus tingentibus per quadraginta dies lunam; vel malgama factum ex luna,& mercurio purgato, cadet aurum fixum in quantitate; os tamen vitri erit optimè obturatum. Vel ſi ad minus ſepties ſupra lunam calcinatam, aut ſupra malgama ex

luna, & argento viuo, prius per triginta dies coactum, vnam ex aquis fortibus, & tingentibus pones, magnam auri quantitatem habebis.

Aqua fortis graduatoria, fixatiua, & in aurum tingens. Accipe auri pigmenti libram mediam, aluminis rochæ libras quatuor, ſalis nitri libras quatuor, ſalis gemmæ libram mediam, piſta omnia, miſce, & fac aquam fortem, vt moris eſt.

Altera aqua fortis fixans, & tingens. Recipe, golgotę mediam libram, cinaprij mediam libram, vitrioli calcinati, ſiue rubificati libras tres, ſalis nitri libras tres, piſtà, miſce, & in aquam fortem diſtilla.

Ponitur alia aqua fortis tingens, & fixans. Recipe vitrioli Romani, ſalis nitri, & aluminis rochæ, ana, libram vnam, quibus adde vncias quatuor cinaprij, &

vncias quatuor viridis æris, piſta, miſce, & fac aquam fortem. Potes etiam facere ſequentem aquam, quæ non tingit, ſed ferrum, & omnia duriſſima metalla ſoluit. Recipe ſalis communis decrepitati libram vnam, vitrioli Romani ad leuem calorem vſque ad albedinem calcinati libras octo, & aluminis rochæ libras octo; piſta, miſce, & fac per diſtillationem aquam fortem.

Fit alia aqua fortis tingens, & fixans. Vitrioli, & ſalis nitri, ana, libram vnam, cinaprij vncias quatuor, vel ſex, aluminis plumæ vncias tres, piſta, miſce, & fac aquam fortem.

Alia aqua fortis tingens, & fixans. Recipe vitrioli Romani, ſalis nitri, & viridis æris, ana, quantum vis, piſta, miſce, & in aquam fortem diſtilla.

Notandum eſt, quòd materia cum aliqua ex iſtis aquis fixata, & tincta,

tincta, non debet per ſe fundi, ſed illam bene ablutam proijci debet ſupra aurum, vel ſupra lunam fuſam, quam poſtea ad aquam ſeparationis pones, vt aurum ab argento ſeparatum habeas; vel illam ablutam, & exſiccatam cum abundanti plumbi balneo cupellabis.

Alia aqua fortis tingens, & fixans. Recipe vitrioli rubificati libram vnam, ſalis nitri libram vnam, cinaprij vncias octo, viridis æris vncias octo, auri pigmenti vncias quatuor, ſulphuris viui vncias tres, piſta, miſce, ſolue cum vrina puerorum, & leui calore exſicca. Poſtea diſtilla, & fac aquam fortem.

Quomodo fiat alia aqua fixans, & tingens. Recipe vitrioli rubificati, ſalis nitri, euforbij, viridis eris rubificati, ſiue calcinati ad rubedinem, ana; piſta, miſce, & fac aquam fortem, quæ erit rubra.

Iterum ſit alia aqua fixans, & tingens. Auri pigmenti libram mediam, cinaprij libram mediam, ſalis gemmę libram mediam, ſalis nitri libram vnam, vitrioli rubificati libram mediam, piſta, miſce, & in aquam fortem diſtilla.

Ponuntur aliæ ſimiles aquæ tingentes, & fixantes. Recipe Golgotæ, cinaprij, vitrioli rubificati, ſalis nitri, quantum ſufficit, & fac aquam fortem. Vel recipe vitrioli romani, viridis æris, ſulphuris viui, & ſalis nitri, & fac aquam fortem. Aut recipe vitrioli romani libram vnam, ſalis nitri vncias ſex, cinaprij vncias tres, & diſtilla in aquam fortem. Vel recipe olei ſulphuris dephlegmati, quantum vis, & auri pigmenti flaui, & piſtati, ana, auri pigmentum miſce cum oleo ſulphuris, & in balneo digere, ac ſimul quinquies diſtilla; caput

autem

autem mortuum ſolue in cellario, & cum oleo diſtillato miſce. Vel accipe ſulphuris, ſalis nitri, & viridis æris, vncias ſex, & armoniaci vncias ſex, & lentiſſimo igne diſtilla; vel abſtrahe à ſulphure, & à ſale armoniaco aquam fortem. Aut accipe vitrioli calcinati, & ſalis nitri, ana, libram vnam, viridis æris vncias octo, armoniaci vncias octo, cinaprij vncias ſex, à principio lentiſſimo igne diſtilla, & fac aquam fortem, optimè tingentem. Vel accipe, calcanti, ſalis nitri, aluminis rocchæ, cinaprij, viridis æris, piſta miſce, & fac aquam fortem, perfectè tingentem, & fixantem. Aut accipe vitrioli romani libram mediam, ſtillaturam calcanti rubei cyprioti, & vocatur cuperoſa, libram vnam, ſalis nitri libras tres, viridis æris libram vnam, cinaprij libram mediam, & diſtilla in aquam fortem, ſoluit, tingit, & fixat.

Datur alia aqua fortis, cum qua ſit opus lucroſum, & vtile. Recipe vitrioli rubificati libras quatuor, ſalis nitri libras tres, cinaprij libram vnam, ſalis armoniaci libram mediam, diſtilla cum retorta colli breuis, & lati, ſed lentiſſimo igne, quem tamen poſtea augebis. Solue in iſta aqua forti argentum, & per vrinale diſtilla ſpiritus dictæ aquę, ſed non ad materiæ ſiccitatem: dictos autem ſpiritus repone ſupra eam lunam in eodem vrinali, ac iterum ſpiritus diſtilla, vt ſupra; & ſic reiterabis ad minus ter, vel quater: poſtea euapora, vel diſtilla omnes ſpiritus, vt materia remaneat benè ſicca, hanc materiam piſta, & aqua calida optimè ter ablue, & exſicca; deinde illam pone ad aquam ſeparationis, & habebis magnam auri quantitatem: idem autem opus poteris efficere ſupra malgama factum ex

argento foliato; aut vulgariter calcinato, & argento viuo abluto; & ſi prius malgama coqueres ſupra cineres per viginti dies nihil melius. Poteris quoque cum qualibet ex alijs aquis fortibus fixantibus, & tingentibus idem opus efficere.

Alia aqua fortis fixans, & tingens. Recipe Vitrioli Romani, ſalis nitri, & viridis æris, ana, libram vnam, cinaprij libram mediam, & fac aquam fortem: poſtea pulueriza ſimul vncias quatuor ſulphuris viui, & vncias tres ſalis armoniaci, & in vrinali ab illis abſtrahe dictam aquam fortem; hæc autem aqua optimè ſoluit, tingit, & fixat, operando vt ſupra dictum eſt.

Cum ſequenti aqua forti poteſt fieri breui tempore opus ſatis lucroſum. Accipe libras duas aceti diſtillati potentiſſimi, & libram mediam ſalis armoniaci piſtati, &

 libram

libram vnam crocci martis, hoc eſt martis limati, & cum ſulphure calcinati, & vaſe diſcooperto, fac ſimul bullire vſque ad tertiæ partis conſumationem; deinde cooperi bene vas, & pone ſupra cineres leuiſſimè calidos, ſæpe agitando vas, ſed cautè, ne frangatur. Poſtea accipe ſulphur piſtatum, & vitriolum romanum rubificatum, & piſtatum, & viride æris piſtatum, ex quolibet vncias quatuor, omnia igitur in puluerem impalpabilem redacta, & mixta, imbibe ad minus ſepties cum dicto aceto præparato, ſingulis vicibus exſiccando; poſtea verò ex hac materia exſiccata, & dicto aceto elaborato fac quamdam paſtam, eamque pone ad diſtillandum per alembicum in aquam rubicundiſſimam.

Poſtea fac malgama ex vncia vna ſolis foliati, aut vulgariter calcinati, & ex tribus, vel quatuor

vncijs

vncijs mercurij bene purgati. Deinde hoc malgama imbibe quater, vel quinquies cum dicta aqua rubra, ſingulis vicibus per tres dies ad cinerum ignem exſiccando. Hinc pone bocciam ſupra cineres calidos, vt materia bene coquatur, & fixetur; deinde illam piſta, aqua calida ablue, exſicca, & cum balneo ſolis funde; vel pone intra fimum, vel ad balneum vaporoſum, vt in oleum ſoluatur: oleum iterum ad cineres coagula, & in balneo denuò ſolue; hoc autem ſoluere, & coagulare aliquoties reitera, vt amplius in materiam congelari non poſſit. Tandem proijce partem vnam huius olei, ſiue medicinæ ſupra decem partes ſaturni purgati, aut ſupra lunam calcinatam, & per quatuor dies decoque; & habebis magnum auri augumentum.

Si medicinam coctam, ter cum menſtruo vegetabili, aut animali

ſolutas, & ſeparato per leuem diſtillationem menſtruo, ſingulis vicibus congeles, habebis medicinam optimam, quam ſi oleo ſolis inceraſes nihil melius. Facies proiectionem ſupra mercurium, plumbum, argentum, martem, & ſaturnum.

Aliud breue opus cum aqua forti tingente, & fixante. Recipe vitrioli Romani libram vnam, ſalis nitri vncias ſex, & cinaprij vncias tres; omnia ſeparatim piſta, paſteà miſce, & diſtilla aquam cum ſuis ſpiritibus: deinde ſolue in quinque partibus huius aquę partem vnam lunę finæ, ſi vis facere oleum lunę, ſi tamen volueris facere oleum ad proiectionem faciendam, ſolues partem vnam malgamæ factæ ex tribus partibus mercurij, & tribus partibus lunæ, quod tamen malgama erit tantum ſexta pars reſpectiuè ad aquam; ſolutio autem fiat ſupra cineres leuiter calidos.

Facta

Facta ſolutione, euapora ad leuem ignem medietatem, aut parùm plus dictæ aquæ, & vaſe infrigidato, illud in loco frigido, & humido pone, & fiant lapilli, ſeu cryſtalla; tunc decanta aquam, lapillos autem ad partem ſerua; aquam verò pone in minori vitro, & ſupra cineres illius medietatem euapora, & vaſe infrigidato, iterum vas pone in loco frigido, & humido, vt cryſtallizetur; tunc decanta aquam, collige cryſtalla, & cum alijs ſerua; iterum medietatem aquæ euapora, & fac omnia, vt ſupra, & hoc toties reitera, quouſque non amplius cryſtallizetur.

Dicta verò cryſtalla piſta, aqua pluuiali calida elue, ac leui calore exſicca; poſtea illas pone in boccia, eiſque ſuperpone optimum ſpiritum potentis vini, accutum, & fortificatum cum parte æquali, aut medietate aquæ fortis, &

& ſolue ad cineres leues, & lapilla, ſiue cryſtalliza, vt ſupra; & hoc ad minus ter repete, & ſi pluries, cò melius.

Poſtea dictos lapillos piſta, ablue, & exſicca, vt ſupra; deinde cum oleo ſalis tartari facto per deliquium illos imbibe, & leuiter exſicca; iterum imbibe, & exſicca; & hoc toties repete, donec tui pulueres ſecum vnierint de dicto oleo tres, aut quatuor partes ſupra ſuum pondus. Tunc materiam ſic imbibitam pone ſupra marmor in loco frigido, & humido, vt conuertatur in oleum viride; & ſi coloris viridis non eueniret, nihil refert. Hinc ſupra hoc oleum pone ſpiritum vini potentis, vt ſuperemineat quatuor digitis, & ad ignem cinerum leuiſſimum, vel ad balneum digere per viginti quatuor horas, & ſpiritum decanta, & ſpiritus vini erit etiam viridis; hoc autem toties repete

ſemper

ſemper cum nouo ſpiritu, quoadusque ſpiritus vini non amplius fiat viridis, vel quouſque ſpiritus vini nihil amplius de materia ſecum trahat: poſtea in balneo vaporoſo ſepara ſpiritum vini, & in fundo remanebit pulcherrimum oleum. Eodem autem pacto fiunt olea ex quolibet metallo, ac etiam ex ſolo mercurio: vt tamen ſoluas in principio metalla, vti debes aqua forti proportionata, vt pro ſoluendo auro, debes aquæ forti ordinariæ quintam partem ſalis armoniaci addere, & pro ſoluendo marte, accipies aquam fortem, quæ ferrum ſoluat.

Aduerte, quòd poteris facere lapillos, ſiue metallorum cryſtalla ſeparatim: V. G. cum aqua regia, lapillos ex auro; cum aqua ſeparationis dicta, lapillos ex mercurio, aut ex argento; deinde modo ſupradicto conuertere in olea; poſtea olea vnire, & miſcere, ac

ac ſimul diſtillare, vel circulare, quouſque oleum euadat fixum; vel eòuſque decoquere, vt fiat puluis fixus: ac tandem oleo ſolis, vel lunę incerare, & proiectionem facere.

Ponitur aliud breue opus cum aqua forti efficiendum. In primis accipe vitrioli, & ſalis nitri, ana libram vnam, cinaprij libram mediam, aluminis plumę vncias tres, ex his fac aquam fortem. In hac autem aqua ſolue tantum mercurium purgatum, quantum ſoluere poteſt; illam poſtea diſtilla, & rediſtilla ſupra eundem mercurium toties, quòd mercurius fiat bene rubeus, & fixus. Deinde accipe dictum mercurium ab aqua forti ſeparatum, eumque ſubtiliter macina, & pone in minori boccia, eique ſuperpone æquale pondus olei ſulphuris dephlegmati, & ter, vel quater illud ſuper materiam diſtilla, & rediſtil-

la. Poſt vltimam verò diſtillationem, & ſeparato ſulphuris oleo, materia in mortario vitreo piſta, eamque in vitro clauſo pone in fimo, & conuertetur in oleum; deinde in vncijs octo huius olei ſolue vncias duas auri foliati, aut vulgariter calcinati, & ad leuiſſimum calorem ſolutione facta, dictam ſolutionem circula, aut pluries diſtilla, hinc ad ignem cinerum congela, & poſtea in fimo, vel in balneo vaporoſo ſolue: hoc autem ſoluere, & congelare ad minus ter reitera, deinde leui, & continuata decoctione fixa. Vel pluries ſolue cum ſpiritu vini in balneo vaporoſo, & ſingulis vicibus ad cineres congela, deinde, ſeparato menſtruo, toties circula, vt fiat oleum fixum; vel tandiu coque, ſeparato menſtruo, vt fiat materia fixa; quam poteris incerare, & ex illa proiectionem facere.

In

In ſuperioribus dixi, quòd fiat quodam peculiari modo malgama, quod noſtrum malgama vocamus, & fit ex auro, vel argento cum mercurio bene abluto, & purgato; modus autem eſt, qui ſequitur. Habeas vas vitreum magni ventris, & parui colli, os tamen vaſis erit latum, & amplum, quod intus, & extra aqua pluuiali calida ablue, ſic enim fortificatur, vt in manipulatione non frangatur. Tunc autem ſolue ad leuiſſimum calorem in quatuor vncijs aquæ fortis vncias duas puriſſimæ lunæ, & facta ſolutione, illam in vitro effunde, & ſtatim ſuperpone vncias quindecim mercurij bene purgati, & competenter calefacti, & immediatè ſuper funde vncias quatuor aquæ pluuialis pariter calefactæ; & papyro vaſis ore obturato, agita, & per gyrum vas volue tandiù quòd aqua clara eueniat, & mercurius

cum

cum argento, vel auro ſit malgamatus. Hoc autem fiat ſupra vas terreum aqua plenum, vt ſi frangeretur vas, recuperari poſſint omnia. Tunc aquam euacua, eamque pone ad cryſtallizandum, vel illam euapora, vt ſi in illa aliquid boni relictum fuiſſet, recuperetur. Malgama poſtea per corium filtra, & preme, vt mercurius non bene amalgamatus ſeparetur, quem pro alia operatione ſeruabis. Deinde malgama ter bene ablue, & exſicca. Tandem ſupra cineres decoque per triginta dies, poteris autem ſuper malgama pluries diſtillare vnam ex dictis aquis tingentibus, & fixantibus. Deinde ablue, exſicca, & funde, vel cum balneo lunæ, vel ponendo materiam non in crucibulo calido, ſed frigido, & ſic dando ignem fundere.

Quomodo omnia metalla reducantur in mercurium, & in oleum: de modo etiam purgandi mercurium vulgi, ac illum in aquam reducendi, coagulandi, & fixandi: & quomodo pulueres facilè fundantur: ac etiam, qua ratione probentur perfecta metalla.

CAPVT VIII.

MOdus vertendi lunam in oleum. Fac aquam fortem ex alumine, & ſale nitro, ana, in ea ſolue lunam cupellatam ad leuiſſimum calorem; ſolutione peracta, diſtilla aquam fortem; repone eamdem aquam fortem ſupra idem argentum, & hoc toties repete, quouſque argentum remaneat, vt oleum congelatum; nunquam autem diſtillando, vel rediſtillando, diſtillabis vſque ad argenti

argenti ſiccitatem. Poſtea ſupra hoc oleum lunæ diſtillabis ad minus ter acetum, prius per ſe diſtillatum; rediſtillando autem ſemper vti debes nouo aceto diſtillato: vel loco aceti, diſtillabis ſupra hoc oleum lunę ſpiritum vini. Tandem rediſtillabis ſupra idem oleum aquam pluuialem, prius per ſe diſtillatam.

Quomodo purgari, & ſublimari poſſit mercurius; accipe libras tres mercurij vulgaris, non falſificati, eumque tere cum calce viua, quouſque viuum non appareat; hincque pone ad ſublimandum ſepties, ſemper in qualibet ſublimatione renouando calcem viuam, & faciendo vt ſupra.

Reducitur mercurius in oleum, ſiue aquam. Accipe ſal armoniacum, & præcipitatum, ana ℥ piſta, & miſce ſimul, ac pone in parua boccia, & bocciam ad cineres, & ſine armoniacum ſublima-

ri, & in fundo vaſis inuenies mercurium ſolutum. Hunc mercurium pone in humili retorta, & ſuperpone acetum diſtillatum, & ſic relinque per duos dies, ac poſtea diſtilla ſexies, & mercurius verſus erit in aquam, ſiue in oleum pulcherrimum.

Metalla facilis fuſionis in mercurium conuertuntur: accipe plumbum purgatum, (idem ſit de ſtanno, de regulo antimonij, & de marcheſita) illud pone in vaſe forti cum capello, & vi excellentis ignis feretur ſurſum, & ſublimabitur vapor quidam ſiccus, qui lateribus vaſis frigidi condenſabitur, & concreſcet. Hic exemptus, & oleo tartari maceratus, lotus, & tritus, emergit in argentum viuum fluuidum, veluti à terrea fęce vindicatum, & purgatum.

Facili via poteſt mercurius in aquam, ſiue oleum verti. Prius reduces in paſtam ipſum mercurium

rium purgatum, vel ex mercurio, & antimonij regulo facies butyrum antimonij; & illud poſtea cum ſpiritu vini diſtilletur, vt nullas poſt ſe fæces relinquat, ſed ſit nitidum, & purum oleum. Vel prius toties ſublimetur, vt nullas relinquat fæces, quas proijcies; deinde cum ſpiritu vini per inclinatam retortam aliquoties diſtilletur, donec ſit oleum pulcherrimum.

Circa purgationem mercurij, iam aliquos modos illum purgandi deſcripſimus, nunc veró alij modi addendi ſunt. Accipe igitur ſalis comunis decrepitati libras duas, & aceti potentis libras quatuor, ſal autem in aceto ſoluatur. Pone in vitro capaci libras tres, vel quatuor mercurij, eique ſuperpone de dicto aceto, vt ſupereminẽat tribus digitis, vas obtura, illudque agita, & per girum volue, ac reuolue, & acetum nigreſcet: tum

tum acetum decanta; iterum de alio aceto ſuperpone, & fac vt ſupra, & hoc ter, vel quater repete. Deinde mercurium aqua pluuiali elue, & cottone terge, vt ſine humiditate aquæ remaneat. Alia mercurij purgatio. Accipe tres, vel quatuor panes albiſſimos, hoc eſt, ex flore farinæ factos, quos optimè exſicca, eoſque ſubtilliſſimè piſta, & per ſetaccium ſericum cribra, vt ſit tanquam farina: deinde miſce cum hac farina mercurium in cattino terreo, & albo, & cum bacculo rotundo tandiù ſimul miſce, vt mercurius reducatur in minima grana, vt ſunt acuum punctæ: hinc illum pone ſimul cum farina panis, vt iacent, in vrinali vitreo, bene lutato; eique appone allembicum, iuncturas bene ſigilla, & da lentiſſimum ignem, & ex pippio, ſiue roſtro nigerrimus fumus egredietur; tunc auge ignem, ſed parùm, &

quan-

quando incipiet egredi quædam aqua, vel aurei coloris, vel omninò alba, quæ eſt arſenicalis aqua ipſius mercurij ſtatim appone recipiens, & aquam proijce; quando verò amplius non diſtallibitur aqua, tunc appone capellum cæcum, ſigilla iuncturas, & ignem auge, itaut mercurius ſublimetur, qui tanquàm farina capello adhęrebit; ſine ignem ex ſe extingui, & infrigidato vaſe, illud frange, ſed cautè, ne ſublimatum decidat; tunc pede leporino, vel cocleari vitreo ſublimatum depone, ac illud, vt ſequitur reuiuifica.

Pone illud in ſcutella alba, & lata, & ſuper illud affunde acetum diſtillatum, quantum ſufficit, & ſtatim viuificabitur, & fluxibilis fiet. Sic habes mercurium optimè purgatum à nigredine, & ab aqua arſenicali, quæ impediunt, ne mercurius congeletur, & perfectè

fixetur: quod bene obſerua, nam mercurio ab iſtis purgato debes vti, quando aliquod malgama componis, aut quando ſupra mercurium proiectionem facis.

Ex cinaprio educitur mercurius optimè purgatus. Calcina tartarum, & ſimul ſubtiliter piſta cum æquali parte cinaprij, & diſtilla, & ex libra vna educuntur octo vnciæ mercurij, deinde cum aceto, & ſale ablue. Nota duplex eſt cinaprium, minerale vnum, factitium alterum: factitium fit ex mercurio, & ſulphure: minerale verò ſunt illi lapides mineræ mercurij, ex quibus ipſe mercurius vi ignis educitur.

Optima mercurij purgatio, qua etiam ipſe mercurius congelatur. Macina mercurium cum melle, & ſale mixtis, quòuſque de mercurio nihil appareat; deinde ablue cum aqua tepida, vt mercurius à melle, & ſale purgetur, &

ſic mercurium purgatum habebis: ſi autem bis, vel ter eundem mercurium cum alio melle, & ſale macinabis, & aqua tepida ablues, habebis mercurium optimè purgatum, qui ab igne non fugiet, ita erit mortificatus, & congelatus.

Fit oleum laterum, quo congelatur mercurius, & varij morbi curantur. Accipe lateres bene coctos, quos nunquam aqua madefecerit, eos frange in particulas ponderis circiter mediæ vnciæ; illas ad carbones accenſos ignefacies, & ſic ignitas extingue oleo lini, aut intra oleum antiquum oliuarum, ſi oleum lini habere non poteris, & fac vt oleo valdè imbibantur, & impinguentur, hoc ter repetendo; deinde illas ſubtiliter piſta, & pone in retorta, aut boccia, & ad leuem ignem diſtilla. Poſtea calcina in crucibulo ad magnum carbonum ignem, & illud

imbibe cum dicto oleo diſtillato; ac iterum diſtilla. Hinc dictum oleum diſtillatum iterum ter per ſe diſtilla, illudque conſerua.

Poſtea accipe vas vitreum magni ventris, in eo pone libram vnam, vel duas mercurij purgati, & ſuperpone vnciam vnam, aut quantum ſufficit dicti olei; hinc vas pone ſupra cineres, vt oleum caleſiat; deinde vas manibus agita, & per gyrum volue, & reuolue, & poſtea ſupra cineres calidos per aliquod temporis ſpatium relinque, & mercurius congelabitur: & ſic habes mercurium ſine metallorum odore congelatum.

Dictum autem oleum eſt in tertio gradu calidum, & varios morbos curat. Medetur enim dolores frigidos, neruos attractos, ſiue contractos, paralyſiam, letargum, & vermes occidit; ſed vt paucis omnia comprehendam, vtile eſt omnibus infirmitatibus,

in quibus opus eſt calefacere, materias digerere, & humores ſubtiliare. Vſus illius eſt tantum ad extra vngendo.

Sublimatur mercurius. Recipe mercurium purgatum; deinde accipe libram vnam ſalis communis decrepitati, & libram vnam vitrioli dephlegmati, & funde; eiſq; adde libram mediam ſalis nitri; ſupra verò hanc materiam fuſam, & ſolidam filtra, & exprime per pannum lineum libram vnam mercurij, & cum ſpatula lignea miſce, & indureſcet; quandò autem infrigidatum erit, piſta, & pone in boccia, & ſublima. Tunc recipe ſolummodo ſublimatum album, abijciendo flauum, & nigrum, ac fæces. Sublimatum album piſta, ac ſepties iterum per ſe ſublima, ſemper abijciendo, quod non erit album, & fæces.

Fit oleum ſulphuris fixum, quod mercurium fixat. Recipe

aquam, qua vtuntur ſaponarij, prima illius collatura eſt melior, quia fortior; deinde pulueriza libras ſex ſulphuris flaui, & pone in olla vitreata capaci, ei ſuperpone de dicto lixiuio ſaponario, vt octo bonis digitis, ac plus ſulphuri ſupereminеat, deinde ad ignem bullies, & ſpumam quam bulliendo faciet, collige, & proice, & hoc continua, quouſque nullam amplius ſpumam emittat; tunc euacua clarum, & ſerua: ſupra fæces verò pone iterum de nouo lixiuio, & fac vt ſupra, & hoc toties reitera, quouſque lixiuium amplius non coloretur; hinc omnes extractiones ponantur ſimul, & ad leuem ignem lixiuium euaporetur, non tamen vſque ad materiæ ſiccitatem, ſed quòd in fundo remaneat tanquam ſalſa, ſeù muſtarda liquida; tunc pone hanc materiam in boccia longi colli, eique ſuperpone aliam bocciam,

ita quod os bocciæ ſuperioris ingrediatur os bocciæ inferioris, & iuncturis albumine oui, ac bolo armeno bene ſigillatis, pone bocciam in fimo equino per decem dies, fimum ſingulis alternis diebus mutando.

Poſtea ex fimo extrahe, depone bocciam ſuperiorem, & bocciæ, in qua eſt materia, appone alembiccum, & diſtilla; primò egredietur aqua rubea, poſtea flaua, deinde alba, & in fundo remanebit oleum in calore aureo.

Hinc pone in crucibulo vncias octo mercurij bene loti, eique impone vncias tres dicti olei calefacti, & mercurius in argentum perfectum fixabitur. Aut fac malgama ex auri, vel ex argenti vncia vna, & mercurij purgati vncijs tribus, pone in boccia, eique ſuperpone vnciam vnam cum dimidia dicti olei, & coque ad cineres per triginta, aut quadraginta

dies, & fixabitur, proût malgama erit compoſitum, vel in argentum, vel in aurum, aut magnam auri quantitatem continebit, & reliquum erit argentum perfectum; aurum verò ſeparabis inquartando cum argento, & cum aqua ſeparationis ſoluendo, aurum enim ad fundum vaſis decidet.

Lixiuium congelans, & fixans mercurium, dummodo eo quis bene vtatur. Accipe vrinæ deſputatæ libras octo, & calcis viuæ libras duas, bullias ſimul ad conſumationem tertiæ partis, deinde ſine quieſcere vrinam, poſtquam bullierit cum calce viua per duodecim horas, & per filtrum cola; huic lixiuio adde libras duas aceti fortis; deinde adde ſalis communis libras duas, & ſale ſoluto, per filtrum cola; poſtea adde vncias duas ſalis alkali triti, & vncias duas ſalis gemmæ piſtati, ac vn-

cias

cias duas ſalis nitri, & omnibus ſolutis, per filtrum cola; hinc pone huius lixiuij libras duas in olla, eamque pone ad carbonum ignem, eique impone libram vnam, vel duas mercurij purgati, aut cinaprij, & bulli, ſemper cum ligno materiam agitando, donec mercurius ab igne amplius non fugiat.

Aliud oleum ſulphuris, ſed compoſitum cum oleo vitrioli. Recipe oleum ſulphuris per lateres dephlægmatum libras duas; ſolue in eo libras duas golgottæ, hoc eſt vitrioli, à quo ipſius ſpiritus ſit diſtillatus; facta verò ſolutione, ſimul ter diſtilla, & in vitro bene ſigillato ſerua, quia multis operationibus chymicis inſeruit.

Vt pulueres cocti, & nimis exſiccati, aut aridi fundantur, & in corpus reducantur. Accipe litargirum piſtatum, & cum aceto

diſtillato ad leuem calorem ſimul digerendo fac extractum; factis autem extractionibus, ab illis acetum diſtilla, vt materia remaneat tanquam mel fuſum; huic materiæ tuos impone pulueres, ac ſimul miſce, & ad ignem exſicca, ac funde, vt in corpus pulueres reducantur. Hoc pacto poteris in corpus reducere omnes pulueres, quos habebis, quando fixabis malgama, aut mineras; tales enim pulueres patiuntur multoties prima vice fuſionem, ac nimiam ignitionem non ſuſtinent, cum ſint nimis ſpirituales, & viuaces. Hic aduerte, quod ſi complete dictum litargirium in ſubſtile oleum reduces, pluries illud cum dicto aceto per retortam diſtillando, aut cum ſpiritu vini; & deinde ſoluas in vncijs tribus illius, vnciam vnam auri, & decoquendo (prius per leuem diſtillationem ſeparato menſtruo, vel

aceto)

aceto) ſupra cineres fixes, habebis magnum auri augumentum.

Modus efficiendi Verdett. Aurum, vel argentum, aut metalla perfecta cum imperfectis mixta ſolent probari confricando illa ſuper lapidem lydię, vulgo dictum, *pietra di paragone*, vt verò melius, & tutius probentur, ſequens paſta fiat: ſolue ſimul ſal armoniacum, & viride æris cum aceto ad leuem calorem, & fac paſtam, eamque conſerua. Quando poſtea illa vti volueris, pone parum de illa ſupra ſignaturas, quas metalla ſuper lapidem reliquerunt, ac ſine exſiccari; deinde illam depone; tunc enim ſi omnes ſignaturæ deleantur, ſignum eſt, metalla illa nec aurum, nec argentum continere; ſi omnes manent, ſignum eſt, metallum eſſe totum perfectum; ſi verò aliqua pars manet, & aliqua deletur, ſignificat, illa metalla ex perfectis, & imperfectis eſſe mixta.

Ex mercurio optimè ſublimato fit aqua, ſiue oleum mercurij. Accipe ſublimatum perfectum, illud pulueriza, & pone in vitro apto, eique adde acetum diſtillatum, & quatuor bonis digitis ſupereminеat, & voluendo, & reuoluendo vas, fac vt bene miſceantur: tunc pone vitrum bene clauſum ad balneum vaporoſum, & digere ad minus per tres dies; deinde per arenam diſtilla toties, vt totum diſtilletur, quibuſdam fæcibus exceptis. Poſtea euacua acetum, vel per leuem diſtillationem illud ſepara: deinde ſupra oleum mercurij diſtilla toties pluuialem aquam, vt oleum dulceſcat. Si poſtea hoc oleum ter diſtillares cum ſpiritu vini, nihil melius. Hoc oleo poteris vti, in illo ſoluendo aurum vulgariter calcinatum, aut foliatum, diſtillando ſimul, poſtea fixando, & incerando ad faciendam medicinam vtilem, & lucroſam.

Re-

Reductiuum facilitans fuſionem, quod borax ſophorum vocatur. Accipe ſalis nitri, ſalis alkali, boracis auri fabrorum, & ſaponis albi, ana, piſta piſtanda, miſce omnia, & ad leuem calorem fac paſtam, quam conſerua; ea poteris vti ad facilitandas metallorum fuſiones.

Modus efficiendi lutum ſapientiæ. Accipe cretam tenacem, aut terram rubram, illam ad ſolem exſicca, & poſtea piſta, & cribra, eamque pone in vaſe terreo, & cum aqua humecta, eique adde parum ſtercoris equi cimaturæ panni, pillorum capræ, ac parum cineris; & ex omnibus fac paſtam. Si autem volueris habere lutum tenaciſſimum, & fortiſſimum; piſta ſquammas ferri, & de dictis pulueribus aliquam partem luto adde, dum paſtam efficis. Aliter etiam fieri poteſt. Accipe de illa terra, ex qua campanarum

narum formæ fiunt, eam piſta, & cribra, & cum aqua, & albumine ouorum impaſta, addendo parum cimaturæ panni, ſi verò exſiccaretur, eam mollifica cum decoctione maluæ.

Explicatur modus efficiendi Lapidem, ex manuſcriptis cuiuſdam Philoſophi: & ponuntur quinque Lapidis abbreuiationes.

CAPVT IX.

PRimò ex vino putrefacto educebat ſpiritum vini, hinc etiam oleum rubrum tartari, quem proijciebat, deindè calcinabat tartarum in reuerberio, vel furno figulino mediocriter calente, vt albiſſimus fieret; poſtea ex tartaro extrahebat ſal albiſſimum, & faciebat, quæ nos diximus in capite de menſtruo vegetabili, faciendo ſal,

ſal, & ſulphur vegetabile, quod ſulphur multiplicabat ad ſuum velle, nutriendo cum ſpiritu vini, in quo ſolutum erat ſal tartari. Deindè volens facere aurum potabile, piſtabat hanc terram albam, eamque nutriebat, quantum ſatis erat cum aqua rubra, ſcilicet cum menſtruo, in quo erat anima, ſiue tinctura auri, & coquebat, vt fieret puluis rubicundiſſimus inſtar ſanguinis Draconis: hinc dictos pulueres prouehebat ad circulandum, addita ſufficienti portione ſpiritus vini, & tandiù circulabat, vt fieret oleum pulcherrimum, quod eſt aurum potabile hominum ſanitati inſeruiens, ac etiam metallorum tranſmutationi.

Si autem non velis facere aurum potabile, ſic procede ad album. Accipe terram cuiuſuis metalli (de terra enim non eſt curandum, dummodò ſit fixa, &

expoliata omni ſua mercuriali ſubſtantia, & calcinata) & æqualem partem terræ argenti; vel accipe ſolummodò terram argenti calcinatam, & purgatam, ac piſtatam; vt alibi dicitur; & illam vnies cum noſtro mercurio albo, hoc eſt, cum menſtruo, in quo ſit mercurius, ſiue anima, aut tinctura lunæ; (vel auri, ſi velis operari ad rubrum;) deinde digere, & benè coagula, poſtea diſtilla menſtruum, & conſerua; diſtillato menſtruo, reliquum ſublima: hinc accipe ſublimatum, & non ſublimatum, piſta ſimul, & tempera, ſiue fac paſtam cum noſtro menſtruo, in quò ſit anima lunæ, digere, diſtilla, & fac, vt ſupra: tali pacto aſcendit in cælum per ſublimationem, & deſcendit in terram ad fundum vaſis; iterum nutritur, & ſic accipit vim ſuperiorum, & inferiorum: Hoc autem opus toties repete, vt

amplius ſublimari non poſſit.

Hic autem eſt ille mercurius, pro quo imperiti accipiunt ſublimatum ex mercurio, vitriolo, & ſale compoſitum, in quo multùm allucinantur.

Aliter tamen mercurius ſic ſublimatus albus, & perfectibilis ad album, vel ad rubrum fieri poteſt, vt ex dicendis conſtabit.

Poteſt hæc alba terra facta ex terra lunæ, & eius anima in infinitum ſic multiplicari: illam piſta, & pone in circulatorio, & ſuperfunde lac virginis, vt tegatur; deinde circula, vt ad ſpiſſitudinem olei veniat; & exſiccetur: ita enim ad tuum libitum multiplicabitur; modó nutriatur prædicto mercurio, ſeù anima lunæ in menſtruo ſoluta.

Eodem modo operaberis cum rubra aqua, ſiue anima auri in menſtruo ſoluta, ſuper calces auri calcinatas, videlicet illas piſtando,

do, & nutriendo cum dicta aqua rubra, diſtillando menſtruum, & ſublimando.

Deinde hunc mercurium cum aqua alba, ſiue cum rubra, hoc eſt, cum anima lunæ, vel ſolis vt ſupra nutries, decoques, & fixabis: hic autem lapis decoctus, & fixatus vocatur lapis benedictus: poſtea incerabis. Huius autem pars vna conuertet mille, imò decem millia partes argenti viui, cæterorumque metallorum in puriſſimum argentum, vel aurum, ferens omnem probam, & iudicium. Deeſt quomodo fiat medicina, & multiplicetur; ſed ex alibi dictis patet.

Prima abbreuiatio.

Fige mercurium vulgarem ſublimatum, & fixatum, deinde illum diſſolue in alio mercurio albo, vel rubro, donec fiat vna

aqua;

aqua; hæc aqua in tribus ſeptimanis ſuum opus abſoluit. Mercurius autem vulgi ſic ſixatur. Purga mercurium, eumque ſublima, ſi fuerit ſemilibra adiunges mediam libram ſalis petræ, hoc eſt ſalis nitri, & tantundem vitrioli, terendo, & temperando mixtum cum aceto, donec fiat inſtar albiſſimæ paſtæ; dum verò ſic incorporantur, ſublima ſepties, vt ſua ſponte clareſcat. Deinde figitur ſequenti modo. Pone duas, vel tres libras in lunga boccia, claude orificium vaſis, & colloca in cinere, vt globus prorſus tegatur. Prima ſeptimana da lentum ignem; ſecunda ſeptimana, fortiorem; tertia, fortiſſimum. Tunc iterum reſolnetur in menſtruo, in quo ſit anima argenti, & iſte vocatur mercurius albus compoſitus. Alibi etiam diximus, quomodo fiat mercurius fixatus, ſiue media ſubſtantia. Si

Si volueris facere argentum pro ornamentis, accipe calcem argenti, hoc eſt argentum vulgariter calcinatum, & ſuper dictam calcem fige per circulationem dictum mercurium compoſitum album; & cum vna pars fixatur, adde alteram partem, & hoc ſæpius repetendo, quouſque calx ipſa ſpontè ſua liqueſcat ſupra carbonem ignitum, ſiue ſupra laminam ferream ignitam ad modum butyri. Huius pars vna proiecta ſupra decem partem æris purgati, reddet optimum argentum pro ornamentis.

Eodem modo in aqua rubra, ſeu mercurio noſtro rubeo ſolue in aquam dictum mercurium vulgarem fixatum, & hunc mercurium compoſitum fixa ſupra calcem auri, & conuertet lunam in aurum pro annulis, ac reliquis ornamentis faciendis.

Secunda abbreuiatio.

Accipe vnciam vnam calcis auri, & vnciam vnam mercurij, vt ſupra fixati, & piſta ſimul; deinde ſuperpone tantum mercurij rubri, vt duobus digitis ſuperemineat; & claude orificium vaſis cum paſta facta ex melle, bolo armeno, & puluere ferreo, commixtis, temperatis, fortiterque ad tenuitatem, & nigredinem coctis. Deinde calore leui circula, digerendo, & exſiccando mercurium rubrum in rubram, & fixam calcem: poſtea impone tantundem de dicto mercurio, ſiue anima auri, & exſiccando, vt prius; & hoc reitera, donec abſorbuerit calx quidquid mercurij poterit, & conuerſum fuerit in oleum ſpiſſum; & aliquantulum nigrum, & eſt elixir, cuius vna pars conuertet decem partes mer-

mercurij purgati, ac in cinere calefacti in rubicundiſſimum puluerem ſiccum, & fixum.

Poteſt autem ad tuum libitum in quantitate, & virtute multiplicari, vt ſequitur. Accipe iterum calcis auri vnciam vnam, & mercurij fixati, vnciam alteram, & huius pulueris fixi vncias duas, pone in circulatorio, & prædicta imbibitione cum aqua rubra circula, coagula, & digere; ſic enim augeri poteſt ad tuum libitum, & in infinitum in quantitate, & virtute. Huius vncia vna congelabit vncias centum mercurij crudi in puluerem; cuius etiam pulueris altera vncia conuertet vncias ducentas cuiuſcunque metalli in puriſſimum ſolem.

Hoc etiam modo poteris tractare calcem lunæ piſtatam cum argento viuo fixato, modo fiat circulatio, & coagulatio, vt ſupra, addito noſtro naturali, &

albo

albo mercurio, donec redigatur in oleum, & faciendo omnia, vt ſupra.

Tertia abbreuiatio.

Accipe vnciam vnam de terra quintæ eſſentiæ ſuauiſſimè olentis, (hoc eſt terræ, vel ſulphuris vegetabilis,) & alteram vnciam menſtrui, in quo ſit anima, ſiue tinctura argenti, terram pulueriza, & coniunge cum mercurio. Hac ratione perfecta fiet compoſitio in primo ordine ad album elixir; qui majori tempore, & igne redigatur in elixir rubrum. Ponas igitur compoſitum in caco vrinali optimè clauſo, & digeratur in fimo per quindecim dies. Exime deinde, & claude in ouo philoſophico, & digere poſtea calore ſicco, ſiue in furno triplicis munitionis in nigredinem. Hoc facto, paulatim auge ignem, do-

nec perfectam induerit albedinem; & tunc appellatur elixir album, quod ſuo tempore, & aucto igne perueniat ad rubrum; huius vna vncia perficiet ducentas vncias mercurij in aurum. Si verò vis multiplicare, accipe partem vnam huius medicinę, & coniunge prædicto modo cum lacte virginis, ſeu cum menſtruo in quo ſit argenti anima, digerendo vt prius ad albedinem, & deinde ad rubedinem. In hac ſecunda repetitione proiectio erit vnius ſuper quadringentas partes. Hac inceratione, ſiue reiteratione medicina poteſt pro velle multiplicari.

Quarta abbreuiatio, quæ ruſticalis dicitur.

Diſſolue rubram calcem auri, hoc eſt aurum vulgariter calcinatum, & mercurium purifica tum

cum

cum puro, & fortiſſimo corroſiuo, compoſito ex vitriolo, & ſale nitro communi more, diſſolutum colloca in balneo vaporoſo in pellicano, exhalando mediam partem, deinde firmiſſimé claudatur; & facillimo igne ſiccetur: poſtea adde plus corroſiui, (in quo ſint aurum, & mercurius diſſoluta vt prius,) obſeruando prædictum ordinem in diſſoluendo, euaporando, & fixando decies, donec ceſſauerit inſurgere corroſiuum, quod tunc fit, cum nullo igne poterit in puluerem fixari, ſed manebit inſtar olei liquidi, & ſpiſſi. Hoc elixir mercurium, & omne metallum in perfectiſſimum aurum conuertit. Opus autem hoc fieri debet in circulatorio poſito in balneo vaporoſo.

Quinta abbreuiatio.

Accipe vnciam vnam calcis vegetabilis, aut animalis, ei ſu-

perfunde de noſtro mercurio albo, vel rubro, vt contegatur; ſigilla vas, circula in balneo, donec in puluerem ſiccetur. Hoc facto plus infunde, donec, obſeruando eumdem ordinem, fiat oleum; quod conuertit mercurium, & reliqua metalla in purum ſolem, vel lunam, prout elixir fuerit ad album, vel ad rubrum præparatum.

Notantur aliqua ad caput præcedens attinentia: calcinantur vulgariter corpora metallica: explicatur modus efficiendi tincturam vniuerſalem.

CAPVT X.

Accipe mercurium album, vel rubrum, ſcilicet menſtruum vegetabile, aut animale, in quo ſit anima, ſiue pars mercurialis

auri,

auri, vel argenti, ſimplicem, vel compoſitum: mercurius compoſitus eſt quando in menſtruo, in quo eſt mercurius, ſiue anima auri, vel argenti, ſoluitur etiam de mercurio fixato, de quo in prima abreuiatione loquuti ſumus. Deinde habeas terram metalli imperfecti (ſi vis potes vnire cum terra metalli perfecti) hæc tamen terra debet eſſe prius calcinata, & in albedine redacta, ac alterata, vt ſuperius diximus. Noſter enim mercurius albus, vel rubeus in terris fixis, & ſua propria anima, ſiue mercurio carentibus eſt vniendus. Nam albus mercurius dat perfectam tincturam argenti, & rubeus mercurius tincturã auri, ſi tamen fermentabis hanc tincturam cum auro vulgi obtinebis incomparabiles diuitias. Si hac tinctura nutrias vitrum ſubtiliſſimè puluerizatum, & ſimul fixes, & fundas, habebis vitrum malleabile.

 Igitur

Igitur dictam terram auri, vel metalli imperfecti alterá; hoc eſt nutries cum lacte prædicto, ſiue cum aqua alba, aut cum mercurio albo æqualiter mixto cum aqua mercurij ſublimati, & perfectè fixi in albiſſimum, & fixum ſulphur ſublimando. Lac autem album eſt menſtruum, in quo ſit anima lunæ.

Deinde calcina, ſiue decoque, vt bene fixetur: poſtea imbibe prędicto lacte ſimplici, donec calx ipſa exhauſerit mediocrem illius quantitatem, & fuerit fixa.

Iterum hanc materiam diſolue eodem lacte, & redde volatilem; poſtea fixa, & calcina: deinde fac oleum per circulationem cum minima aliqua parte illius, & lacte virginis: ſic perfectum fiet elixir; conuertens mercurium, & omne imperfectum metallum in perfectiſſimum argentum. Eodem autem modo cum noſtro rubro

mercurio fixando dictam terram, quam in albiſſimum, & fixum ſulphur reduxiſti; & calcinando, poſtea ſoluendo cum rubro menſtruo, & tandem circulando in ipſum oleum; quod appellatur aurum potabile, curatiuum, & præſeruatiuũ, elixir vitę, & metalli. Medicina igitur eſt ſæpius ſoluenda, & ſubtilianda, poſtquam fuerit perfectè fixa, vt tandem exiſtat oleum incombuſtibile, & nihil aliud eſt, niſi tinctura, & color fixus.

Bene in iſtis operationibus notandum eſt, dari metallorum calcem primam, & ſecundam: calx prima eſt terra cuiuſcumque metalli, omni ſua mercuriali ſubſtantia carens, quam alij vocant elementum terræ; quæ terra optimè calcinatur, vt alibi dictum eſt. Hæc autem prima calx alterari debet in ſecundam calcem, quod fit, dum ipſa prima calx nutritur

per partes cum mercurio compoſito, vt dictum eſt, ac dicetur; & poſtquam ſecum vnierit ſufficientem partem de mercurio compoſito, vt ſublimari poſſit, & ſublimatur, & hæc terra ſublimata cum mercurio compoſito vocatur ſecunda calx, ſulphur naturæ, & terra foliata; hæc terra foliata eſt noſter mercurius ſublimatus, de quo ſupra locuti ſumus, qui diuidi poteſt in duas partes, vt ad album vna, alia ad rubrum perficiatur. Nota, ſi facies hoc ſulphur cum anima lunæ, vel ſolis, non poteſt eſſe indifferens ad album, vel ad rubrum, vnde fieri debet, vt ſit indifferens, ex menſtruo compoſito ex ſpiritu, & ſulphure vegetabili, aut animali; vel ex menſtruo compoſito ex ſpiritu vini, vel vrinæ, & media ſubſtantia in illo ſoluta.

Corpo-

Corpora metallica calcinantur.

Calcinatur ſaturnus, & iouis. Impone in cochlear ferreum magnum, & in ignem, vt flamma elidat ſuper metallum, & ſpumam ferreo roſtro trahe ad partes cochlearis, mouendo ſæpius metallum, donec albeſcat; deinde cribra, & facilimum puluerem collige, & ſufficiet tibi vncia vna.

Venus, & mars calcinantur. Aſpergantur optimo aceto, bene diſtillato, vt contrahant rubiginem. Hanc rubiginem igne fortiſſimo in ferreo diſco combure; cum incandeſcet, refrigera in aceto optimo, & euaporando acetum, collige rubicundiſſimam terram, quam aqua pluuiali ablue, exſicca, pulueriza, & conſerua. Hac tinctura poteris etiam vti ad tingendum noſtrum aurum album, de quo alibi iam diximus.

Denique aurum, & argentum calcinantur, ſi optimè amalgamentur, & terantur ſuper marmor cum puluere ſalis præparati, hoc eſt, decrepitati, ſiue albificati, nulla humiditate ſuper addita, donec nihil extet mercurij: deinde ſublima, vel euapora mercurium fortiſſimo igne: quod in fundo manſit, tere in ſubtiliſſimum pulluerem, & deinde ſublima donec nihil inerit mercurij, calcem aqua calida ablue, vt priuetur ſale, & exſiccetur, ſicque habebis calcem farina ſubtiliorem.

Multis alijs modis poſſunt metalla calcinari, proùt alibi diximus, & in diuerſis locis explicauimus.

De tinctura vniuerſali.

Primò, ſolue lunam optimam, & puriſſimam in aqua forti, facta ſolutione, appone aquæ forti de

aqua

aqua ſalida, & argentum præcipitabitur in calcem albam, quam ablue cum aqua calida, eamque ſic dulcifica, & exſicca. Hinc accipe calcem hanc, eiq; adde dimidiam partem, & paulò minus ſalis armoniaci ſublimati, aut mundificati (mundificatur ſal armoniacum ſi ter ſoluatur cum aqua pluuiali, & qualibet vice exſiccetur,) & contere benè ſimul, & loca in vitrum aptum, & ſuperfunde de oleo tartari claro, per deliquium facto, vt ſupereminneat duobus digitis; vitrum autem optimè obtura, & pone in fimo equino, vel ad balneum per menſem, tunc tota materia denigratur. Hanc poſtea verſa in aquam pluuialem, & benè ab omni ſalſedine ablue, & poſt quamlibet reſidentiam aquam clariſſimam decanta; hoc autem toties repetes cum noua aqua, donec tota amaritudine ablata, aqua dulcis decantetur;

 tunc

tunc materiam exſicca, & ſublima, vt ſequitur.

Secundò, hæc materia ſublimatur, vt mercurius corporis ſeparetur à ſulphure, & à terra eiuſdem corporis. Pone igitur ad ſublimandum, vel ſeparandum in cucurbita figuli, alembico cæco applicato, & benè luto ſapientiæ ſigillato: tunc pone vas in cineres calidos, & applica primò lentum ignem per dimidium diem, deinde fortionem, tandem fortiſſimum vſque ad viginti quatuor horas: tunc ſine vas ita per ſe infrigidari, dum ignis etiam per ſe extinguitur, vaſe infrigidato, illud aperi, & in trhono, ſiue in ſuperiori parte comperies griſſeos puluefes, quos contere in ſcutella vitrea cum aceto diſtillato calido, & reuiuificabitur.

Serua hunc mercurium lunæ in vaſe vitreo, & conſidera pondus eius, quia primum iſtud pondus ſpiri-

ſpiritus ſic facti competet pro prima infuſione noſtræ terræ, ſecunda ad ſecundam, & tertia ad tertiam, vt infra dicetur.

Tertiò, colligendum eſt ſulphur, erit autem in hac ſublimatione materia adhærens ſpondilibus vaſis puluis quidam pruneti coloris, quem cautè depone, & carè ſerua, quia eſt ſulphur philoſophorum, aer,& ſpiritus tingens, illud ſerua ad partem.

Quartò, accipe materiam nigram, quæ erit in fundo vaſis, eique iterum adde dimidiam partem ſalis armoniaci, & ſuperfunde oleum tartari, ac digere, ſiue putrefac per omnia, vt ſupra, dulcificando, exſiccando, ſublimando, & mercurium colligendo ſagaciter,& cũ magna induſtria,& ponẽdo ad partẽ. Has verò operationes toties reitera, donec ſeparaueris totũ mercurium, qui dicitur à philoſophis lapis benedictus, &

aqua permanens;quæ tamen permanens eſſe non poterit abſque ſuo corpore, & ſulphure, à quibus eſt ſeparatus. Hic bene obſerua, quòd ſi de tali mercurio ſolari, aut lunari ſic facto;aut aliquo alio modo, ſed abſque mercurio crudo, habueris tantùm duos lot, & ipſius ſulphuris dimidium lot, aut ad minus drachmam, certiſſimè habebis magnum theſaurum, poteris enim mineram perpetuam inſtituere,ac etiam lapidem philoſophorum componere.

Sextò, præparanda eſt terra. Recipe igitur terram nigerrimam, quæ vltima, finitis ſublimationibus,in fundo vaſis remanſit; eamque benè calcina in furno reuerberationis. Tunc pone in aceto, ſiue menſtruo, & ſolue, quod ſolui poteſt. Non ſolutum iterum calcina,& ſolue;& hoc reitera toties, & quóuſque totum ſolutum fuerit: tandem diſtilla totum

acetum per filtrum ſubtiliter, & pone in vitreo vaſe cum alembico, & iuncturis benè ſigillatis, abſtrahatur tota humiditas aceti in balneo mariæ, & illud, quod in fundo remanet, erit quaſi ſaccarum album, & dulce, & dicuntur cineres, vel ſal permanens, in quo inuenies diadema cordis tui, ſal metallorum, ideſt philoſophorum lapidem.

Septimò, nunc autem componendus eſt lapis modo ſupradicto. Accipe hanc terram ſic præparatam, eique adde de mercurio, & ſulphure ſuo, quantum dedit prima ſublimatio, & non plus; tunc orificio vaſis clauſo, decoque ſupra cineres igne lento per octo dies, per alios intenſiori, & per alios ſimili, quòuſq; mercurius ille non amplius aſcendat, & ſit benè cum terra fixatus. Quo facto, incera cum ſecunda ſublimatione ſui mercurij, & ſulphuris,

&

& rege per omnia, vt ſupra.
Tandem adde tertiam ſublimationem mercurij cum ſulphure ſuo, & fac omnia, vt ſupra: tunc enim Deo adiuuante, incipiet de die in diem magis fluere in modum ceræ; & cum ita fluit, habebis veriſſimè lapidem philoſophorum, ac theſaurum, & augumentum in infinitum; quia non indiges niſi mercurio vulgi, cum quo augumentabis, quantum tibi videbitur.

Hoc autem elixir multiplicatur ad tuum libitum, vt ſequitur. Deinde huius elixiris fixi in tres partes diuiſi, accipe vnam partem, eamque fac volatilem cum mercurio vulgi purgato, & cum eo incera alias duas partes elixiris fixi, & ſic cum vna parte elixiris volatilis nutries, & incerabis duas partes elixiris fixi: tunc applica ignem, & ſublima per hebdomadam, & ſic in infinitum augumen-

mentabitur; accipiendo tertiam partem elixiris vltimo coĉti, eamque volatilem faciendo cum mercurio purgato vulgi, & cum hoc volatili nutriendo, & ſublimando alias duas partes elixiris ſixi, & ſic potes ſemper tuum lapidem, vt libuerit, multiplicare.

Notandum primò. Modum primum huius auctoris, quem in principio, & ante abbreuiationes explicauimus, ſupponere, quod calcinetur aurum vulgariter, & philoſophicè; deinde quòd putrefiat cum menſtruo, & ſuo mercurio; poſtea, quod omnia elementa à terra auri ſeparentur; deinde quòd fiat ſulphur ſublimatum, ſiue terra foliata, quæ poſtea nutriatur cum aqua alba, vel rubea; hinc fixetur; quo ſulphure poſtea medicina componatur; quæ omnia hic prætermiſſimus, cùm in prima parte illa ſatis dilucidè explicæ verimus.

Notan-

Notandum ſecundò, vt perfectè intelligantur, quæ hic circa abbreuiatones tradidimus, obſeruanda eſſe ea, quæ in prima parte tractando de particularibus, ſiue branchis docuimus.

Notandum tertiò. Accipe terram auri, calcina, & purga, vt dictum eſt, eam deinde miſce, vel cum ana ſulphuris vegetabilis, aut cum ana mediæ ſubſtantiæ, piſta ſimul, & tempera cum lacte virginis, hoc eſt, cum menſtruo in quo ſit tinctura ſolis, aut lunæ, & ſublima; iterum ſublimatum ſepara, & cum non ſublimato contunde, & tempera cum lacte virginis, & ſublima; & ſic toties reitera, quòd amplius ſublimari non poſſit; deinde ſeparato menſtruo, decoque, & fixa, tandem, vel multiplica, vel incera, & fac proiectionem.

Subli-

Sublimatur mercurius, & in aquam, ſiue oleum reducitur. Fit etiam buttyrum antimonij, in aquam ſolubile.

CAPVT XI.

ACcipe mercurium optimum, & benè purgatum, eumque pone in parua boccia, quam collocabis ſupra vas terreum cineribus plenum, relinquendo apertum bocciæ orificium; deinde pone ſub fundo vaſis carbones accenſos: ex orificio vaſis exibit cum fumo pars verenoſa, & arſenicalis mercurij, ipſe verò mercurius ad partes ventris, & ad collum bocciæ ſublimabitur. Accipe, ſed cautè, ſublimatum, non ſublimatum verò proijciatur, ac iterum illud, vt ſupra, ſublima, & hoc quater repete, proijciendo ſemper non ſublima-

blimatum: ex hoc autem ſublimato fac aquam mercurialem, qua vti poteris, vt alibi dictum eſt.

Vt verò facias buttyrum antimonij, ſic procede. Accipe libram reguli optimi antimonij, ſubtiliſſimè piſtati, ac poſtea miſce cum tribus vncijs mercurij benè purgati, & pone intra paruam retortam, lutatam: orificium retortæ relinquatur apertum, ſub illo tamen ponatur vas terreum, aqua frigida quaſi plenum. Hinc diſtilla, cum fumo abibit pars venenoſa, intra cattinum verò guttatim cadet buttyrum antimonij, tunc decantata aqua, buttyrum collige, ac ter, vel quater cum aqua calida ablue. Ex hoc buttyro potes etiam facere aquam mercurialem, ac illa vti, vt de aqua mercurij diximus.

Quo-

Quomodo fiat lixiuium forte, & ſaponarium pro tincturis extrahendis.

CAPVT XII.

RƐcipe libram vnam ſodæ, & libram vnam calcis viuæ, bene pulueriza, miſce, & pone in vaſe terreo, in cuius fundo ſit vnum foramen, coopertum tela linea, per quam tamen aqua tranſeat, vt pura, & ſine ſordibus in vas recipiens decidat; deinde ſupra dictam materiam manibus compreſſam ſuperfunde ſex, vel ſeptem menſuras aquæ, quæ collando per foramen, in recipiens decidet, & erit lixiuium forte, ſi verò nolueris ita forte, poteris illud aqua communi temperare.

De

De modo efficiendi Cinnaprium.

CAPVT XIII.

ACcipe argentum viuum bene purgatum, & ſulphur flauum piſtatum; miſce ſimul, & ſublima, & ſublimatum eſt cinnaprium. Ex quo poteſt extrahi tinctura, ſicut etiam extrahi poteſt ex cinaprio naturali, ac etiam ex minio. Cinaprium autem naturale eſt petra illa minere mercurij, ex qua vi ignis mercurius extrahitur, à qua petra poſtea optima tinctura extrahi poteſt: pariter ex petra, quæ Hemathitis vocatur, perfecta tinctura extrahi poteſt; inuenitur autem inter mineræ aureæ venas. Ex tutia pariter, dum modo ſit vſque ad perfectam rubedinem calcinata, extrahitur cum aceto diſtillato optima tinctura.

Cimen-

Cimentatur aurum cum lucro.

CAPVT XIV.

ACcipe partem vnam auri puri, & partes duas finiſſimi æris, & funde ſimul; deinde ſubtilia, vt ſint lamellæ tanquam papyrum, deinde cum ſequentibus pulueribus fac ſtratum ſupra ſtratum in crucibulo, prius lamellam cum vrina madefaciendo, deinde cum charta os crucibuli cooperi, & aliud crucibulum ſuperpone, iuncturas luta, & per viginti quatuor horas cimenta, & habebis bonum lucrum. Pulueres autem ſunt, vt ſequitur. Accipe pulueres laterum, ſiue tegularum, ſal commune decrepitatum, vitriolum combuſtum, & viride æris, ex omnibus ana, puluerizab, & miſce.

Quo-

Quomodo fiat æs tanquam aurum intus, ac extra, & permanenter: ſed eſt opus ſophiſticum.

CAPVT XV.

Recipe tutiæ Aleſſandrinæ crudæ vnciam vnam; ſalis nitri, vnciam mediam; auri fabrorum boracis, vnciam mediam; vitrioli rubificati, vncias tres; curcumæ; vncias duas; viridis æris mundi, vncias tres: hæc omnia ſeparatim benè piſta, & cum melle ſoluto cum oleo communi fac paſtam. Poſtea accipe vncias tres, vel quatuor æris in ſubtiles lamellas redacti, & cum dicta paſta fac ſtrata, prius ponendo in fundo crucibuli de paſta, ſicut etiam vltimum ſolum de paſta erit; deinde funde; vel antequam fundas crucibulum alio crucibulo coopere, & iunctu-

ris

ris lutatis, tene ſupra cineres calidos per horas duodecim; ac tandem diſcooperto crucibulo, funde: & habebis venerem, quæ perfectum aurum, videbitur; illo autem poteris vti pro annulis, & ornamentis faciendis.

Alio modo fit. Accipe lamellas veneris antiquæ, ſiue veteris, quæ nunquam fuerint cum ſtanno delibuta, eas pone in vaſe terreo, ac eis ſuperpone de aceto, & ſale, vt ſupereemineat, & cooperto vaſe ſic relinque per tres, vel quatuor dies, & ſi relinqueres per octo dies, melius eſſet. Deinde lamellas extrahe, & panno lineo terge, & conſerua. Poſtea accipe Zinch, ſiue Zinetto, illud funde, & proijce intra aquam vitæ perfectiſſimam, quæ dicitur aqua vitæ trium coctionum, & hoc fundere, & proijcere intra aquam vitæ ter eſt repetendum. Deinde funde vncias quatuor dicti æris purgati,

quan-

quando erit benè fuſum ſuper illud proijce vnciam vnam dicti Zingh,& quando audies quendam bumbum, ſignum erit materiam eſſe perfectè mixtam, quam in canalem proijces. Alijs modis etiam poteſt venus perfici, vt alibi dicetur.

Fit etiam alio modo,& eſt opus pulcherrimum. Accipe viridis æris ſublimati vncias tres, iſtud æs viride vocatur Italicè, verde in canna; ſalis nitri finiſſimi, vnciam vnam cum dimidia, tutiæ crudæ, vnciam vnam cum dimidia, auri fabrorum boraginis, vnciam vnam cum dimidia. Macina omnia ſimul, & cum oliuarum oleo impaſta; deinde totum ſimul in crucibulo funde.

De modo efficiendi æs tanquàm argentum intus, & extra; opus pulchrum, ſed ſophiſticum.

CAPVT XVI.

IN primis fac ſequens balneum. Accipe libras quatuor aceti, libras quatuor vrinæ puerorum, & libras ſex aquæ pluuialis, miſce, & in illis ſolue ad lenem calorem, libras duas ſtercoris columbini exſiccati, & libram vnam calcis viuæ prius cum aſperſione aquæ defloratæ, & libras duas tartari piſtati; facta verò ſolutione, lixiuium decanta, & balneum eſt pręparatum, quod pluribus vicibus inſeruire poterit. Deinde candefac intra carbones ignitos ſepties, vel octies lamellas æris, & ſingulis vicibus intra dictum lixiuium extingue. Poſtea accipe dictæ vene-

ris ſic præparatæ libram vnam, & fac cum ſequenti paſta ſtratum ſupra ſtratum in crucibulo capaci. Dicta verò paſta ſic fit. Accipe vncias tres arſenici criſtallini, vncias duas tartari calcinati, & vnciam vnam ſublimati, piſta, & fac paſtam cum ſapone, & oleo communi. Primum autem ſtratum, ſicut, & vltimum erit ex dicta paſta; factis verò ſtratis, cooperi vas alio crucibulo, & luta iuncturas, ac luto exſiccato, da ignem fortem, & funde. Si vncijs decem huius veneris ſic elaboratæ addideris vncias duas argenti, & poſtea cum aqua, ſale, & tartaro bullieris, pulcherrimum argentum habebis.

Alio modo fit. Accipe veneris antiquæ, non ſtanneatæ limaturam quantum vis, & ab ea cum ſpiritu vini fortificato cum ſpiritu ſalis; vel cum aceto diſtillato, & cum ſale fortificato, aut cum ſolo

aceto diſtillato; vel cum aliquo forti lixiuio, ad leuem calorem digerendo ipſius tincturam abſtrahe; & hoc toties repete, quouſque lixiuium nullam tincturam abſtrahat. Hoc patrato, cum prædicta paſta, & ex venere ſic præparata fac ſtrata, & funde, & albiſſimam venerem habebis. Si autem non vis extrahere à venere tincturam, poteris illam extrahere à lattone, & ſic opus citius perficies.

Poteſt etiam ſequenti modo fieri. In primis fac ſequens lixiuium: accipe libras ſex calcis viuæ defloratę eaſque pone in hydriam terream duorum palmorum altitudinis, quam aqua imple, & aliquando virga lignea materiam moue; deinde per duas, vel per tres horas ſine aquam quieſcere, eamque per telam lineam filtra, ſiue ſupra telam lineam in aliud vas decanta. Deinde optimè piſta,

libram vnam arſenici criſtallini, eamque pone in vrinali, ac ei ſuperpone de dicto lixiuio, vt quatuor digitis ſupereemineat, & ad ignem arenæ calefac, & paruo tempore digere; poſtea aquam decanta, & ſerua; iterum appone de dicta aqua, & fac vt ſupra. Deinde totam aquam diſtilla, & in fundo vaſis remanebit quędam materia alba, & ponderoſa. Poſtea ſolue in aqua forti tantum argenti fini, quantum dicta materia ponderat, & hanc aquam fortem ſimul cum argento ſoluto effundes, ſed paulatim ſupra dictam materiam macinatam; poſtquam verò totam aquam abſorbuerit, leui calore ſpiritum aquæ fortis euapora; poſtea vitrum alio vitro cooperies, & intra arenam pone vas, & ſupra arenam carbones, & ſic tene, & coque ſeptem horis; hinc materiam frigefactam piſta, & vnciam illius proijce ſupra vncias
decem

decem veneris fuſæ, vel lattonis fuſi: ſi tamen venus prius cum ſupra dicto balneo purgaretur, melius eſſet; aut ſi prius ab ea cum lixiuio, vel aceto diſtillato tinctura extraheretur.

Modus deaurandi, vel argentandi lattonem, ſine igne, & cum lucro.

CAPVT. XVII.

SVbtiliſſimè piſta libram vnam tartari vini albi, cui adde mediam libram ſalis communis albi, & miſce ſimul in ſcutella vitreata; deinde habeas vnciam vnam cum dimidia aquæ fortis, & in ea ſolue ad leuem calorem vnciam mediam lunæ finę. Facta ſolutione, affunde guttatim dictam aquam ſupra dictos pulueres, & cum ſpatula lignea benè miſce; poſtea ad leuem calorem aquam fortem eua-

euapora; cum hoc autem puluere poteris cruces, numiſmata, vel ſimilia ex lattone facta deargentare, dictum puluerem confr cando ſuper illa, deinde lixiuio abluendo, & panno fortiter tergendo. Lixiuium autem, in quo abluentur faciet quandam reſidentiam vnctuoſam, quæ pariter bona erit ad argentandum, & ſic nihil deperdetur.

Si autem volueris facere dictos pulueres ad inaurandum, ſolues in vncia vna cum dimidia aquæ regiæ vnciam mediam auri, vel ſaltem vnum quadrantem vnciæ, cætera verò facies vt ſupra; eſt opus pulcherrimum, & vtile, quia cum menſura ſupradicta poteris inargentare, vel deaurare vltra mille numiſmata.

Quo-

Quomodo fiat plumbum purgatum tanquam aurum.

CAPVT XVIII.

EX crocco ferri, vel veneris extrahe cum aceto diſtillato, vel cum aliquo lixiuio tincturam; deinde funde plumbum purgatum ter, vel quater, aut quantum opus erit, & ſingulis vicibus ſic fuſum proijce in dictum lixiuium, & plumbum intus, & extra colore aureo, & permanenter tingetur: vel poteris fundere plumbum, & ſuper illud fuſum proijce de dicta tinctura, mouendo virgula lignea materiam, vt omnia benè miſceantur; aut ſic facies, ignies intra carbones ardentes virgam ferream multoties, & ſingulis vicibus eam extingues in oliuarum oleum donec oleum multum de tinctura ferri ſecum attraxerit; poſtea fun-

de plumbum, & ſic fuſum proijce intra dictum oleum: hoc autem fundere, & proijcere intra oleum toties repete, quouſque dictum plumbum ſit benè colore aureo tinctum.

Hoc plumbum poteris in folia reducere, quo poteris deaurare, & ſic loco auri foliati inſeruiet; vel ex illo poteris pro libitu facere plura ornamenta.

Fit oleum plumbi, vel ſtanni, aut antimonij, quod multis operationibus chymicis inſeruiet, ac per illud ſquammæ, & ſcoriæ metallorum ad cupellam ingreſſum habebunt.

CAPVT XIX.

Recipe plumbum calcinatum, hoc eſt Biaccam, & bullies cum aceto in vaſe terreo; poſtea

acetum

acetum decanta, vel illud euapora, & in fundo vaſis oleum plumbi remanebit. Poteris etiam illud ſic facere. Solue plumbum, & ſuper illud ſolutum pone ſal commune decrepitatum, & cum ligno tandiù materiam miſce, quòuſque totum remaneat vna calx, quam à ſale ablue, & poſtea bullies cum aceto, & cætera facies vt ſupra: ſi autem volueris oleum magis ſubtiliatum, illud poteris rectificare, filtrando, vel diſtillando.

Eodem verò pacto calcinare poteris ſtannum, ac regulum antimonij, & bullire cum aceto, & facere extractum, & reliqua vt ſupra.

Dicto autem plumbi oleo poteris vti, vt materiæ, quę in balneum cupellę non poſſunt ingredi, facillimè ingrediantur, & cum lucro cupellentur. Accipe igitur ſquammas, vel ſcorias, aut materiam, quę in balneum cupellæ

ingreſſum non habent, eas pone in vaſe terreo, & ad ignem benè calefac, & guttatim ſuper eas irrora, & affunde de dicto oleo, vt illo impinguantur; poſtea ad cupellam pone, & ingreſſum habebunt.

Ponitur quædam vtilis multiplicatio in aurum: explicatur etiam modus efficiendi oleum tartari.

CAPVT XX.

ACcipe reguli antimonij partem vnam, & ſtanni puri quatuor partes, & funde ſimul, & conſerua. Deinde pone in crucibulo fruſta, ſeu particulas, vel limaturam ferri, quantum vis, & ignem fac, vt rubeſcat; tunc ſuperpone de dicta mixtura ex regulo, & ex ſtanno ad medietatem ponderis ferri, & funde omnia

ſimul;

ſimul; ſtatim verò poſt fuſionem proijce in virgas, vt ſtannum in fumum abeat, & erit materia duriſſima.

Poſtea imple vnum crucibulum à ſale petrę, & pone ad ignem, vt liquefiat; deinde pone dictas virgas intra ignem, vt calefiant, aduertendo ne fundantur, quas ab igne extrahe, & pone illas ſic calefactas intra ſalnitrum fuſum; & comburentur tanquam candelę; hinc accipe ſcorias remanentes, illas aqua pluuiali ablue, & exſicca, ac exſiccatas pone ad cupellam cum balneo plumbi; ſi verò nolint balneum ingredi, illas prius calefactas ſupradicto oleo plumbi imbibe, & poſtea cupella; materiam autem cupellatam inquarta cum tribus partibus argenti, & pone ad aquam ſeparationis; aurum fundum petet: argentum verò ex aqua forti recuperabis, vt moris eſt.

Quomodo fiat oleum tartari per deliquium.

Accipe optimum tartarum, eumque calcina in fornace; aut cum ſale nitro fino; cum ſale nitro autem calcinatur, miſcendo vtriuſque pulueres, & ad ignem accendendo ſalnitrum, & ſi prima vice non calcinabitur perfectè, iterum cum ſale nitro calcina. Tartarum poſtea calcinatum ſolue cum aqua pluuiali, filtra, & congela euaporando aquam. Hoc autem ſoluere, filtrare, & congelare ter, aut quater repete, & habebis ſal tartari, quod aerem ſentiens, ſtatim in oleum conuertetur. Vel tartarum benè calcinatum pone in loco humido, & cadet in oleum; & vt facilius in oleum vertatur; poſtquam aliqua pars erit in oleum verſa, illam pone ſupra aliam partem, & ſic facilius,

&

& abundantius in oleum decidet.

Si autem volueris perfectius oleum habere, oleum factum per deliquium bis, vel ter in parua retorta diſtillabis, & erit optimè ſubtiliatum.

Poteſt etiam fieri optimum tartari oleum vt ſequitur. Accipe libram dimidiam optimi tartari calcinati, ac pone intra bocciam lungi colli, eique ſuperpone vncias duas perfectiſſimi ſpiritus vini, ac bocciæ ſuperpone aliam bocciam, vt orificium bocciæ ſuperioris ingrediatur orificium bocciæ inferioris, & bocciarum iuncturas optimè ſigilla; deinde pone bocciam, in qua eſt materia ſupra cineres moderatè calidos, & ſic relinque per horas viginti quatuor; poſtea depone bocciam ſuperiorem, & leni diſtillatione diſtilla, & egredietur quædam inſipida humiditas. Tunc iterum ſuper-

funde

funde vncias duas ſpiritus vini, & fac omnia, vt ſupra; & ſic toties repete, quò adusque illa media libra tartari calcinati perueneric ad pondus vnius libræ, vel vnius libræ cum dimidia, ſic autem habebis perfectiſſimum tartarum, & vt ſupra vertetur in oleum; immò ſi hunc tartarum ſublimares, & pars ſublimata ſolueretur cum ſpiritu vini, haberes menſtruum ſatis bonum ad ſoluenda phyſicè metalla.

Sequuntur aliqua notanda circa ſulphur philoſophicum, & philoſophorum dicta.

CAPVT XXI.

Dictum ſulphur compoſitum ex terra, & anima auri infinita habet nomina, vt ex alibi dictis conſtat; quare breuitatis gratia nunc non repeto, quia ad veri-

veritatem operationis non conferunt.

Notandum igitur eſt primò. Dictum ſulphur, quod diximus fieri ex terra, & anima auri; poſſe aliter, & ſequenti modo fieri; videlicet ſeparando animam auri à ſua terra, deinde reuniendo, ſiue miſcendo ipſam animam auri cum aqua mediæ ſubſtantiæ, & cum hac aqua mixta nutriendo terram auri prius calcinatam; & poſtea facta coagulatione, ſimul ſublimando in ſulphur: quod ſulphur deinde benè exſiccatur ad cinerum calorem, ita tamen, vt vnum ab altero non ſeparetur; poſtea benè imbibitur oleo ſolis, obſeruando tamen, quòd ſemper maior pars ſit de media ſubſtantia, quam de ſole, vel quod ſint partes æquales, vt alibi dictum eſt. Igitur cum oleo ſolis imbibe hoc ſulphur, & exſicca; iterum imbibe, & exſicca, & hoc toties repete.

pete quouſque eueniat rubeum, vt papauer ſylueſtre, & vt rubbinus: tandem benè exſiccatum, ſolue totum in aquam cum menſtruo vegetabili, vel animali, & ſimul diſtilla bis, vel ter; poſtea per leuem diſtillationem aquam menſtrualem ſepara, reliquum, quod in modum aquæ craſſæ, & pinguis remanebit, & erit aqua metallica pone ad lungam decoctionem, vt aqua fiat fixa terra, quam oleo ſolis incera, & cum illa fac proiectionem. Vel cum illa fac multiplicationem; in multiplicationibus autem non eſt amplius opus facere ſulphur ſublimatum, quia terra fixata, ſeù lapis coctus, & fixatus pro ſulphure inſeruit; & ita ſemper lapis vltima vice decoctus in quacunq; multiplicatione loco ſulphuris ponitur. Multiplicatio autem fit nutriendo cum aqua compoſita, ex anima ſolis, & aqua mediæ

ſub-

ſubſtantiæ ipſum lapidem coctum per partes coagulando, & nutriendo; deinde cum menſtruo ſoluendo, & coquendo, ac fixando, vt ſupra; & ſic in infinitum multiplicatio reiterari poteſt. Poſſet tamen ipſa multiplicatio fieri, ſoluendo ipſum lapidem coctum cum menſtruo; deinde miſcendo cum aqua compoſita ex anima ſolis, & aqua mediæ ſubſtantiæ, & ſimul diſtillando, & ſeparato menſtruo, decoquendo, & fixando.

Notandum ſecundo. Dictum ſulphur poſſe fieri ſeparando ab auro elementa diuiſim, & cum elemento aquę, in quo erit pars ſubtilior animæ nutriendo elementum terræ calcinatæ; & ſublimando ſimul; poſtea dictum ſulphur rubificando cum oleo ſolis: quod poſtea ſimul mercurio auri, & mediæ ſubſtantiæ nutries, decoques, tandem ſolues

cum

cum menſtruo, & ſolues, & vt ſupra ſeparata aqua menſtruali, fixabis in terram, ſeu lapidem.

Notandum tertiò. Poſſe dictum ſulphur fieri tali pacto: pone ſimul cum menſtruo vncias tres mediæ ſubſtantię, & vncias duas auri philoſophicè calcinati; deinde putrefacies in balneo vaporoſo per quadraginta dies; & quandò benè omnia diſſoluta erunt, ſeparabis à terra auri omnia elementa mercurialia, quod tamen primò extrahetur, ad partem ſeruabis, ſicut etiam, quod vltimo extrahetur; deinde calcinatæ terræ vnies primam partem extractam, & facta debita coagulatione, ſimul ſublimabis, & ſublimatum deijcies, piſtabis in mortario vitreo cum piſtillo pariter vitreo; & cum ſupradicta parte vltimò extracta illud rubificabis, per partes, & paulatim illud nutriendo, & ſingulis vicibus

bus coagulando, & ſufficienter exſiccando. Quo peracto, vno ex ſupradictis modis, debes illud miſcere cum aqua compoſita ex media ſubſtantia, & anima auri; ita quód ex omnibus fiat vna aqua, quam vt ſupra per lungam decoctionem iterum in terram, ſeu lapidem fixabis.

Notandum quartò. Poſſe fieri lapidem ſequenti modo. Accipe dictum ſulphur, ex terra, & anima auri factum, illud ſolue in oleum; vel aurum philoſophicè calcinatum ſolue in oleum; deinde huius olei vnciam vnam, vel duas miſce cum tribus vncijs aquæ mediæ ſubſtantiæ, & cum aqua menſtruali vegetabili, vel animali diſtilla ſimul: poſtea ſeparato menſtruo, decoque ſimul lungo tempore, vt fiat terra, ſeu lapis; quem oleo ſolis incerabis, & faciet bonam proiectionem: hunc lapidem poteris etiam multiplicare,

care, vt ſupradictum eſt.

Notandum quintò. Hac via etiam poteris procedere. Accipe mediam ſubſtantiam, eam piſta, ac in vaſe apto imbibe cum oleo ſolis in menſtruo vegetabili, vel animali ſoluto, & imbibitio hæc fiat per partes olei; poſtea extrahe menſtruum, materiam exſicca, & ſublima; deijce ſublimatum, cum non ſublimato contunde, miſce; iterum nutries, & imbibes cum oleo ſolis, faciendo omnia, vt ſupra, & continua quòuſque materia ſit fixa, nec amplius ſublimari poſſit, ac ſit rubicundiſſima: cum hac media ſubſtantia, & cum ſole poteris etiam facere oleum fixum circulando ſimul vſquequò oleum fixum in fundo vaſis remaneat. Iſtis autem duabus medicinis, quas in hoc notando poſui, facere poteris proiectionem ſupra mercurium benè purgatum, vel ſimul decoquendo, & fixando. Hæc

Hæc autem omnia, quæ in hoc capite breuiter poſui, habes prolixè explicata in libro, ſuis capitibus explicatis. Reſtat modò, vt aliqua obſcura antiquorum philoſophorum dicta clarè declaremus.

Dicunt primò. Noſtrum argentum viuum continere in profundo ſui ignem, & ſulphur ſuum, hoc eſt, quando facta eſt aqua ex ſulphure aureo, & media ſubſtantia; tunc illa aqua eſt mercurius ſiue argentum viuum philoſophorum, & continet in profundo ſui ignem, ſeu ſulphur ſuum; quia aqua mediæ ſubſtantiæ in ſe habet, & in ſe occultat ſulphur aureum, dum ſunt hæc duo vnus tantùm mercurius.

Dicunt ſecundò. Fac occultum manifeſtum, & manifeſtum occultum. Id fit per decoctionem, dum aqua in terram fixatur; quia tunc ſemen maſculinum, quod occul-

occultabatur in ſemine fœminino, hoc eſt ignis, ſeu mercurius ſolis, qui occultabatur in ſemine fœminino, ſeu in aqua mediæ ſubſtantiæ, per decoctionem dominatur, & operatur circa aquam mediæ ſubſtantiæ, ac eam coagulat, colorat, & figit; & ſic, quod occultabatur, fit manifeſtum, dum fit coloris aurei; & manifeſtum fit occultum, dum mediæ ſubſtantiæ aqua, quæ erat coloris albi, & totam aquam compoſitam albificat, fit coloris aurei per decoctionem; & ſic tinctura auri occulta, & quæ latebat in mercurio crudo, manifeſtatur, & albedo, quæ ante decoctionem erat manifeſta, abſconditur, quia argentum viuum crudum tranſit ab albedine in colorem citrinum, ac deinde in rubeum. Nam in compoſitione aquæ (quæ eſt materia proxima noſtri lapidis) miſcentur ſimul duo ſupradicta ſemina, nem-

pè

pè maſculinum, & femininum, & quidem maſculinum eſt calidum, & ſiccum: fæmininum verò eſt frigidum, & humidum: in principio autem dominantur humiditas, & frigiditas mercurij, ſiue ſeminis fæminini; & ex continua decoctione, ſemen maſculinum, quod eſt mixtum per totum cum ſemine fæminino dominatur, & vincit humiditatem, & frigiditatem ſeminis fæminini, & ſecundum gradus huius alterationis ſeminis fæminini per ſuum ſulphur fiunt diuerſi colores metallici, inter quos præcipui ſunt, nigredo, albedo, flauedo, & rubedo.

Dicunt tertiò. Fac ex corpore ſpiritum, & ex ſpiritu corpus; ita quòd corpus ſit factum ſpiritus, & ſpiritus ſit factus corpus. Duobus modis hoc intelligitur: vel quando ex ſulphure, & ex media ſubſtantia fit vna aqua, in qua corpus

ſcili-

ſcilicet, ſulphur, & ſpiritus hoc eſt mediæ ſubſtantiæ aqua facta ſunt vna tantùm aqua; vel quando per decoctionem hæc aqua compoſita ex duplici mercuriali ſubſtantia verſa eſt in terram, ſeù in lapidem; tunc corpus eſt factum ſpiritus, & ſpiritus eſt factus corpus; quia ſimul in vnam materiam verſa ſunt. Et ſic volatile factum eſt fixum, ſcilicet, ſpiritus volatilis mediæ ſubſtantiæ fixatus eſt per mercurium, ſeù per oleum, ſeù ſulphur ſolis, quod natura ſua eſt fixum, factum tamen volatile per artem.

Dicunt quartò. Coniunge ignem cum aqua frigida, & hominem rubeum cum fæmina alba, & conuerte marem in fæminam, & poſtea fæminam in marem, ſiue in hominem rubeum. Vbi obſeruandum eſt, nomine ignis venire oleum ſulphuris aurei, ſeù ipſum aurum ad ſuam

primam

primam materiam, hoc eſt totum in oleum ſolutum; vel ipſum ſulphur ſublimatum: nomine verò aquæ frigidæ aquam mediæ ſubſtantiæ, quæ coniuncta decoquuntur, & in terram fixantur; ibi enim homo rubeus, hoc eſt, oleum ſolis coniungitur cum fæmina alba, ſcilicet, cum aqua mediæ ſubſtantiæ;& homo rubeus conuertitur in fæminam albam in principio, dùm aurum miſcetur cum aqua mediæ ſubſtantiæ, & ex iſtis duobus fit tantùm vna aqua, in qua prædominatur fæmina alba, & quia mercurius ſolis eſt per totum mixtus cum fæmina alba, & tota aqua eſt coloris albi, ideò mas dicitur conuerſus in fæminam: ſed poſtea per lungam decoctionem fæmina alba vertitur in hominem rubeum, quia tandem mercurius ſolis prædominando, vertit in ſuam naturam, ſuumque colorem, coagulando,

tingendo, rubefaciendo, & fixando ipſam mediæ ſubſtantiæ aquam.

Dicunt quintò. Lapidem fieri ex vno, & ex duobus: ſcilicet fit ex vno, quia fit ex vno mercurio, ſeu ex vna aqua compoſita, ex duabus ſubſtantijs mercurialibus, nempè ex mercurio ſolis, & ex mercurio mediæ ſubſtantiæ, quæ ſunt per mixtionem vnus tantùm mercurius philoſophorum; & ſunt duo, quia ex duabus ſubſtantijs mercurialibus mercurius philoſophorum eſt compoſitus.

Dicunt ſextò. Fac terræ tuæ alas, vt volare poſſit: hoc fit, quando elemento terræ auri, iam tamen calcinatæ, reunitur ipſius anima, & exſiccatis, ſeu benè coagulatis iſtis alis, ſimul omnia in ſulphur naturæ, & perfectiſſimum ſublimantur.

Dicunt ſeptimò. In multiplicatio-

cationibus, quod eſt ſuperius fac inferius, quod manifeſtum fac occultum, quod eſt palpabile impalpabile, quod viſibile inuiſibile: & rurſus, quod eſt inferius fac ſuperius, quod eſt occultum fac manifeſtum, quod impalpabile palpabile, & quod inuiſibile viſibile. Hæc omnia facilè explicantur: iam dictum eſt, quòd quando ponitur aqua compoſita ex aqua ſolis, & ex aqua mediæ ſubſtantiæ ad coquendum, quod ſuperius ſtat pro aqua mediæ ſubſtantiæ, & inferius pro aqua, ſeu oleo ſolis, quod eſt inferius, & intra aquam mediȩ ſubſtantiæ abſconditum; & quod tunc inferius ſit ſuperius, & ſuperius fit inferius, quod per decoctionem aqua mediæ ſubſtantiæ coloratur colore aureo, coagulatur, & in terram fixatur: & è contra, oleum ſolis, quod erat inferius fit ſuperius, & colore rubro, & in fixi-

tate terræ apparet: in multiplicationibus autem hoc ſuperius, nempè hæc terra fixata, quæ eſt illud ſuperius manifeſtum palpabile, & viſibile, (cum in colore aureo videatur, & tangi poſſit, quia eſt corpus) dum miſcetur in debita proportione cum aqua compoſita ex aqua mediæ ſubſtantiæ, anima auri, & omnia vna aqua fiunt; tunc iterum ſuperius factum eſt inferius, manifeſtum occultum, palpabile impalpabile, & viſibile inuiſibile: ſed dum aqua per decoctionem in terram fixatur iterum inferius fit ſuperius, occultum manifeſtum, impalpabile palpabile, & inuiſibile viſibile, & ſic cum hac viciſſitudine operando, lapis poteſt in quantitate, & in virtute in infinitum multiplicari. Hac enim ratione fixum fit volatile, & volatile fixum, vt ex dictis conſtat. Dum autem aqua compoſita ex ſul-

ſulphure , & media ſubſtantia vnitur lapidi cocto, tunc leo leonem comedit; nam ſulphur, ſeù lapis coctus eſt leo, & aqua compoſita eſt etiam leo, & iſti duo leones ad inuicem ſe ſe comedunt; & in principio leo, qui eſt aqua compoſita comedit leonem, ſeù lapidem coctum, qui tamen leo, ſeù lapis coctus poſtea comedit, & per decoctionem deuorat illam aquam compoſitam, ſiue illum leonem, à quo in principio deuoratus fuit; & ſic lapis coctus vocatur draco omnia deuorans.

Dicunt octauo. Spiritus non vnitur corpori, niſi corpus ſit ad ſuam materiam primam redactum, & ſpirituale factum. Hoc in loco nomine ſpiritus venit aqua mediæ ſubſtantiæ, quæ dicitur ſpiritus, quia eſt mercurius ſua natura volatilis; hic autem mercurius non poteſt perfectè vniri, ac miſceri corpori ſolis, niſi ipſum

aurum reducatur etiam ad naturam mercurialem, ſeù in oleum, quod oleum dicitur corpus factum ſpirituale, quia eſt deductum ad naturam ſpiritus, ſeù mercurij: eſt iſtud oleum ſua natura fixum, quamuis per artem ſit factum ſpirituale: vnde quando ſpiritus volatilis mediæ ſubſtantiæ huic mercurio ſolis, ſiue auri miſcetur, & vnitur; tunc dicitur vniri ſuo corpori ad primam ſuam materiam redacto.

Aduerte primò, menſura erit, quod quando pones tuam materiam ad coquendum, ſint tres partes aquæ mediæ ſubſtantiæ, & pars vna, vel ad ſummum duæ aquæ mercurij ſolaris. Immò aliqui dicunt, quòd in aqua mediȩ ſubſtantiæ ponatur ſulphur aureum, vel aurum optimè calcinatum, & relinquatur ad leuiſſimum calorem; quia aqua mediæ ſubſtantiæ tantum de auro ſoluet, quan-

quanto indiget; deinde tota materia aquea decantetur, & ſeparetur ab auro non ſoluto, & aqua compoſita ponatur ad coquendum, vt in terram fixam conuertatur: hac aqua ita compoſita vti etiam poteris ad multiplicationes efficiendas.

Aduerte 2., Poteris ſic procedere, habito ſulphure aureo, illud nutries cum vna parte aquæ medię ſubſtantiæ, ita quod ſint duæ partes ſulphuris, & pars vna aquæ medię ſubſtantię, & benè ad leuem calorem coagulabis; ita tamen, vt vnum ab altero non ſeparetur: poſtea iterum nutries cum alia parte aquæ mediæ ſubſtantiæ, & facies vt ſupra; & ſic continuabis, quòuſque ſint in totum tres partes aquę mediæ ſubſtantiæ, & pars vna, vel duæ auri: tunc ad calorem leuem hanc materiam benè exſiccabis per aliquot dies: poſtea materiam exſiccatam ſolues cum

menſtruo vegetabili, vel animali in aquam: & ſeparato menſtruo, hanc aquam compoſitam per lungam decoctionem vertes in terram fixam; quam oleo ſolis tinges, & incerabis; ac denique proiectionem facies; vel multiplicabis, vt ſupra dictum eſt. Vel ſi malueris, poteris prius vertere aurum, ſeu ſulphur aureum in aquam cum menſtruo; ſic etiam ſeparatim mediam ſubſtantiam; deinde menſura ſupradicta ſeruata, ambas aquas miſcere, ac ſimul per collum retortum, aut per retortam humilem, ſiue inclinatam, cum ipſo menſtruo ter diſtillare. Tandem ſeparato menſtruo, ponere aquam compoſitam ad lungam decoctionem, vt in terram fixam conuertatur: quam poſtea oleo ſolis incerabis, & proiectionem facies, vel multiplicabis. Iam vides totum magiſterium conſiſtere in hoc, quod in debita proportione

miſceantur ſimul aurum, & media ſubſtantia, ac reducantur hæc duo in vnam aquam; quæ aqua poſtea, ſeparato menſtruo, per lungam decoctionem in terram rubicundiſſimam, & fixam reducatur.

Aduerte 3., A Philoſophis dici, quod leo leonem comedat; & quod leo, ſeù draco caudam ſuam deuoret. Hoc autem ſic intelligitur: ſulphur vocatur leo, & mercurius medię ſubſtantiæ etiam leo vocatur: in principio leo, hoc eſt, aqua mediæ ſubſtantiæ comedit leonem, nempè ſulphur aureum; & in fine per decoctionem leo, ſeù ſulphur aureum comedit, & deuorat leonem, ſeù aquam mediæ ſubſtantiæ, eam fixando: quod etiam verificatur, dum in multiplicationibus, terra fixata deuoratur ab aqua compoſita; & tandem aqua compoſita deuoratur à terra fixata, & in terram vertitur. Leo

poſtea deuorat caudam ſuam, dum terra fixata, ſeù lapis inceratur. Hoc autem oleum vocatur cauda leonis, quia ſi ſeparentur ab auro elementa diuiſim, quòd vltimò ſeparatur eſt elementum ignis, ſeù hoc oleum, & ideò vocatur cauda, quia cauda vltima pars eſt animalis.

Aduerte 4. E prima parte cap. 9. & 10. in quibus tractatur de modo componendi quartam, & vltimam medicinam omnium perfectiſſimam: fac ſulphur ex elemento terræ auri, & ipſius anima, illud ſublima; & magis deinde illud cum oleo, ſeù anima ſolis rubifica: poſtea fac malgama ex tribus partibus mercurij vulgi optimè purgati, & parte vna auri vulgariter benè aperti, & calcinati; poſtea miſce omnia ſimul cum parte vna dicti ſulphuris, & benè in mortario vitreo contunde, & hanc materiam pone ad coquendum ſupra cine-

cineres ad lumen lucernæ, & fiet puluis rubicundiſſimus.

Hanc materiam optimè pulueriza, & per partes imbibe cum menſtruo vegetabili, vel animali, in quo ſit anima ſolis ſoluta, ac digere, & poſtea diſtilla menſtruum, & materiam ſublima: ſublimatum depone, & miſce cum non ſublimato, iterumque imbibe cum menſtruo, in quo eſt anima ſolis, & fac, vt ſupra: has verò operationes toties reitera, quouſque amplius non ſublimet, tunc pone materiam in vitro, ſigilla hermeticè, & in attanore decoque per quadraginta dies; poſtea hanc materiam coctam piſta, & ſolue cum menſtruo vegetabili, vel animali, & ſeparato menſtruo, coagula, & fige: & hoc ſoluere, coagulare, & figere ad minus ter repete, & finita tertia repetitione, ſublima; & ſi quid ſublimabitur, depone cum non

 ſu-

ſublimato, ac iterum ſolue, coagula, & fige, quòuſque nihil ſublimetur. Tunc habes lapidem perfectum, & medicinam completam; quæ ſolummodo inceratione indiget, & poteſt in infinitum multiplicari, vt ſuo loco dictum eſt.

Iam ergo ex omnibus, quæ hucuſque diximus habes, benè miſcenda eſſe mediam ſubſtantiam, & ſulphur aureum, ita vt ex illis fiat vna aqua, quæ aqua conuertatur in terram per lungam decoctionem; quæ terra poſtea inceretur ad faciendam proiectionem; vel ante incerationem multiplicetur ad tuum libitum: quia verò diuerſis modis, poſſunt media ſubſtantia, & ſulphur auri miſceri, hinc videtur, philoſophos inter ſe differre; & tamen inter ſe non diſcrepant, quia ſiue hæc mixta, & compoſita aqua ex aqua mediæ ſubſtantiæ, & ex aqua ſulphuris auri

auri fiat hoc, vel illo modo parùm refert dummodo benè fiat: in hoc ſenſu enim dicitur, quod natura ſit vna, ars vna, & medicina vna.

Aduerte 5., Quando feciſti ſulphur ex elemento terræ auri, & ex ipſius anima, ac illud ſublimaſti, tunc vocatur leo rubeus; quando veró illud magis rubificas, nutriendo ipſum cum anima, ſiue oleo auri; tunc iſta anima auri vocatur leo viridis, & ſic leo rubeus nutritur leone viridi: dicitur autem leo viridis, quamuis dicta anima ſit rubra, quia adhuc non eſt cocta, & ſic tanquam fructus immaturus vocatur leo viridis: nam fructus immaturi virides eſſe ſolent.

Aduerte 6. Ex iſto ſulphure ſic rubificato, & in tinctura aurea aucto, fit optimum aurum potabile, eo modo, quem in capite de auro potabili dictum eſt.

Aduerte 7., Initium noſtri magni.

gni lapidis eſt ſulphur naturæ ſublimatum; quod fit ex elemento terræ auri, quæ terra calcinatur, & cum menſtruo ſoluitur, & exſiccatur, vt in hac ſecunda parte dicitur; poſtea ei per partes vnitur ipſius anima, & tandem in ſulphur ſublimatur. Deindè rubificatur magis cum anima auri, vel cum oleo ſolis, & benè exſiccatur. Poſtea accipe aquam mediæ ſubſtantiæ mixtam cum anima ſolis, & cum iſtis nutries per partes dictum ſulphur iuxta ſua pondera, & decoque. Hinc cum menſtruo, in quo ſit anima, ſeu oleum ſolis, magis rubifica; deindè ſeparato menſtruo, decoque, & exſicca; hinc materiam exſiccatam ſolue cum menſtruo, & omnia fient vna aqua: tunc per leuem diſtillationem ſepara totum menſtruum, & aquam metallicam pone in vitro, hermeticè ſigilla, & in furno triplicis munitionis coque, & fixa,

vt

vt aqua fiat terra rubicundiſſima, & vocatur lapis prima vice coctus.

Hunc lapidem iterum debes fermentare, & bis multiplicare, vt magnæ proiectionis euadat. In iſtis autem multiplicationibus non eſt amplius opus facere ſulphur ſublimatum, quia iam habes lapidem prima vice coctum; quem debes pulueriza re, ac iterum fermentare, & nutrire per partes cum aqua, compoſita ex aqua mediæ ſubſtantiæ, & ex anima ſolis, & exſiccare, & rubefacere cum anima, ſiue oleo ſolis, & benè exſiccare: deinde cum menſtruo ſoluere; poſtea ſeparato menſtruo, aquam metallicam, vt ſupra in furno triplicis munitionis decoques, & in lapidem fixabis. Quem lapidem adhuc vna vice ad minus multiplicabis, faciendo omnia vt modo dictum eſt. Si autem volueris, poteris pluries, & in infini-

tum

tum multiplicare. Aduerte, quód ſi antequam ſepares menſtruum, bis, vel ter, omnia ſimul diſtillabis per collum retortum; & deinde ſeparato menſtruo, pones ad coquendum, & fixandum in furno triplicis munitionis, lapis eueniet maioris proiectionis, quia ipſius materia magis erit ſubtiliata. Antequam veró fiat proiectio, debet lapis incerari.

Aduerte 8., Multos ſic efficere ſulphur ſublimatum: ponunt ſimul duas, vel tres partes mediæ ſubſtantiæ, & partem vnam, vel duas auri philoſophicè calcinati, ad putrefaciendum cum menſtruo per quadraginta dies. Deinde ſeparant omnia elementa ſimul, excepto elemento terræ, quod elementum terræ calcinant, & præparant, vt ſupra dictum eſt: poſtea cum elemento ſubtiliori nutriunt per partes elementum terræ, vt ſublimari poſſit, & ſublimant;

quod ſulphur deinde rubificant, cum alijs partibus elementi ſeparati ab elemento terræ, & decoquunt: poſtea puluerizant, & nutriunt per partes dictum ſulphur, cum aqua compoſita ex aqua mediæ ſubſtantiæ, & anima ſolis, & faciunt omnia vt ſupra, & multiplicetur vt ſupra. Tandem inceretur, & cum illo fiat proiectio.

Aduerte 9., Animam, ſeù tincturam auri vocari communiter oleum incombuſtibile, ſeù aquam permanentē, quæ tamen permanēs non erit, quouſque iterum vniatur elemento ſuæ terræ, quod elementum terræ vocatur ſal permanens.

Aduerte 10., Debet primò fieri ſulphur ſublimatum ex anima auri, & ipſius terra calcinata, & purgata. Deinde hoc ſulphur nutries per partes cum mercurio ex media ſubſtantia extracto: has verò nutritiones reiterabis vſque

ad

ad proportionem menſuræ, & ponderum. Singulis vicibus decoques vſque ad perfectam coagulationem. Dictas verò nutritiones poteris etiam facere cum mercurio, anima, vel oleo ſolis animato. Finitis nutritionibus, fermentabis, & rubificabis cum anima ſolis totam materiam, & decoques, vt omnia fiant puluis rubicundus, vel materia puluerizabilis: & tunc dictos pulueres ſolues cum menſtruo in aquam, & ſeparato menſtruo, pone in vitro dictam aquam ex mercurio, & ſole compoſitam, & vitrum hermeticè ſigillatum pone in vaſe triplicis munitionis, & decoque, vſquequò dicta aqua verſa ſit in ſal perfectum philoſophorum, ſeù in terram. Quam poteris oleo ſolis incerare, & deinde facere proiectionem. Quando autem feciſti hanc aquam, & ex ſulphure ſolis, & ex mercurio mediæ ſub-

ſtantiæ; tunc coniunxiſti in matrimonium, hoc eſt, indiſſolubiliter Regem, & Reginam, hominem rubeum, & fæminam albam, aurum, & lunam, ſiue mercurium mediæ ſubſtantiæ. Sed quia lapis debet ad minus ter repeti, vt bonam, & amplam proiectionem faciat; ideò ad lapidis multiplicationem ſic procedes.

In multiplicationibus non eſt amplius opus, vt ſulphur ſublimatum facias, quia iam habes lapidem vna vice decoctum, qui loco ſulphuris inſeruiet. Igitur accipe hunc lapidem, & antequam illum inceres, eum puluerizabis, & nutries cum mercurio mediæ ſubſtantiæ, vt ſupradiximus de nutritione ſulphuris ſublimati, & facies reliqua omnia, quæ de ſulphure nutrito diximus vſque ad perfectam fixationem, & quod aqua metallica ſit in terram fixam redacta. Idem, faciendo omnia tali pacto,

tertiò

tertiò repetes: & quando cum menſtruo reduxiſti omnia in aquã, ter omnia per collum retortum diſtillabis, & lapis maioris virtutis euenict. Antequam verò proiectionem facias, tuum lapidem incerabis. Hoc autem modo poteris ipſum lapidem quoties volueris, & in infinitum multiplicare.

Aduerte II. Per alios ſic abſoluté eſſe operandum. Ab auro vulgariter, & philoſophicè calcinato ſeparabis elementa, calcinabis elementum terræ, ac purgabis, eique exſiccato vnies ipſius animam per partes, & ſublimabis in ſulphur, quod vocatur Rex, & Sponſus: huic Sponſo vnienda eſt in matrimonium ipſius Sponſa, ſiue Regina, quæ vocatur candidus Cignus: igitur igneus mas, ſiue Rex nutriri debet per partes cum candido cigno, nempè cum mercurio ex media ſubſtantia extracto, ſiue ipſius aqua: facta nutritio-

ne in conuenienti pondere, ità quòd ſint partes æquales Regis, & Reginæ, vel pars vna Regis, & partes tres Reginæ, benè ſimul decoques: facta decoctione, cum menſtruo omnia ſolues, ac ſimul bis, vel ter per collum retortum diſtillabis: cum autem omnia ſic in aquam redacta ſunt; tunc indiſſolubile matrimonium inter Regem, & Reginam factum eſt· nunc, ſeparato menſtruo, pones reliqua in vitro, ſigilla hermeticè, & decoque, vt aqua fiat terra. Poſtea fiunt cętera, vt ſupra dictum eſt.

Aduerte 12., Anima auri vocatur aqua permanens, quæ tamen permanens non erit, quouſque ſit vnita elemento terræ, quod terreum elementum vocatur ſal permanens.

De

De lapidis compoſitione.

CAPVT XXII.

Corpus eſt terra, triplici mercurij, ſulphuris, & ſalis ſubſtantia ditata. Primus liquor, qui per diſtillationem eggreditur, dicitur mercurius. Alter liquor, qui poſtea eggreditur, eſt oleum pingue, & vocatur ſulphur. Tertius autem liquor, qui in cinere remanet, & eſt vnctuoſus, nec à cineribus per artificium chymicum ſeparatur, ſed in ipſis cineribus ſolutis ſubſiſtit, vocatur ſal auri; hinc philoſophi dixerunt, tria hæc eſſe ſpiritum, animam, & corpus, quia exiſtimabant ſpiritum eſſe mercurium, oleum eſse animam, ſal verò eſſe corpus. Quàmuis enim concedatur, omnia ex quatuor elementis radicitus componi; & in quolibet corpore

qua-

quatuor elementa deliteſcere; attamen chymicus non debet corpus in hæc quatuor elementa reſoluere, id enim, vel eſt impoſſibile, vel huic arti inutile; quapropter chymici quodlibet corpus in hæc tria principia reſoluere contenti ſunt: cum autem quodlibet corpus in hæc tria principia reſolubile ſit, ideò fatendum eſt, ex illis componi: nam vnum quodque reſoluitur in ea, ex quibus componitur.

Tota verò natura inferior in tres diuiditur partes principales, ſcilicet, in vegetabilem, animalem, & mineralem, & omnia illarum corpora in dicta tria principia reſolubilia exiſtunt. Quia verò in omnibus iſtis, tam vegetabilibus, quàm animalibus, & minerabilibus quidam conſimilis ſpiritus vegetabilis inuenitur, & omnia in dicta tria principia reſoluuntur; idcircò philoſophi dixerunt,

xerunt, materiam ipſorum lapidis in omnibus rebus inueniri; quia in omnibus corporibus mercurius, ſulphur, & ſal inueniuntur: cæterum quodlibet corpus ſuum habet ſemen, in quo virtus eius multiplicatiua reperitur: nam arbor creſcit ex ſemine, & ſemen eſt arboris initium, & cum quodlibet indiuiduum ſuę ſpecie conſeruationem præcipuè intendat; ideò ſemen eſt finis arboris, quia in quolibet grano, ſeù ſemine arboris, iterum abſcondita eſt arbor alia. Cum autem etiam mineralibus ſuum Deus infuderit ſemen, idcircò etiam multiplicabilia eſſe negari non debet. Sed vt pro nunc theoricis ſuperſedeamus.

Sciendum eſt, duobus modis nos procedere poſſe ad lapidis philoſophici effectionem, vel pro ſanitate hominum tuenda, vel pro tranſmutatione metallorum facienda. Totum autem ſecretum,

ſiue

ſiae arcanum conſiſtit in hoc, ſi operetur ad ſanitatem tuendam, vt ſolis pinguedo, ſeu ſanguis, (hoc eſt oleum) ſiue tinctura, & lunariæ Ros, (hoc eſt, quinta eſſentia vegetabilis ex vino optimo facta) in vnum corpus coniungantur, & per debitam circulationem fiat perfectum aurum potabile. Huius autem lapidis philoſophici ad hominum ſanitatem tuendam pater eſt ſol, ſcilicet, aurum, mater verò eſt luna, ſcilicet, quinta eſſentia ex vino extracta, & eſt menſtruum vegetabile perfectum.

Vt verò fiat lapis ad proiectionem faciendam, requiritur, vt ſanguini ſolis addatur media ſubſtantia mercurij vulgi, & cum menſtruo vegetabili, vel animali, aut cum menſtruo vegetabili animato cum ſale vrinæ, & ſimul omnia putrefiant, & ſeruetur modus, vt in libro dicitur.

Sicut igitur ex duobus ſolis, &

lunæ fontibus oritur ſpiritus naturalis, & vitalis, per quem, vt per mediatorem, omnis proprietas propagatur in inferiora corpora, ſcilicet, in herbas, animalia, lapides, & metalla; eò quòd dictus ſpiritus permeet cuncta entia corporalia; nec quidquam corporeum in mundo ſublunari reperiri queat, quod huius ſpiritus ſcintilla careat, vel carere poſſit. Itá pariter ex ſole metallorum, nempé ex auro, & ex luna vegetabili, ſeù ex noſtra luna vegetabili, ſiue quinta eſſentia, tanquam ex duobus fontibus, educitur quidam ſpiritus, qui eſt ſpiritus vitalis, & animalis confortatiuus, & reſtauratiuus. Cum additione verò mediæ ſubſtantiæ fit etiam lapis omnium imperfectorum metallorum tranſmutatiuus in metalla perfecta.

Aduertendum ne confunderis, quando fit lapis ad tranſmutanda

metalla, aquam mediæ ſubſtantiæ, vocari à pluribus matrem, vxorem, & ſemen fæmininum: ſolem verò, ſeu illius ſanguinem, dici, patrem, ſponſum, & ſemen maſculinum.

Fit lapis philoſophorum iuxta præcepta Fratris Baſilij Valentini.

CAPVT XXIII.

1 HAbeas aurum ter per antimonium purgatum, nam per antimonium non ſolum purgatur, ſed etiam tinctura antimonij magis ipſe auri color augetur, & perficitur. Habeas etiam mercurium optimè purgatum: ex illis autem duobus philoſophorum lapis componitur.

2. Accipe de auro benè calcinato, quantum vis, illud miſce cum mercurio purgato in maiori

quantitate, & ſimul fac tranſire; primùm per pannum, deinde per corium, manibus comprimendo.

3. Poſtea per artificium ſepara tantam quantitatem de puro mercurio, vt tantùm tres partes puri mercurij cum mercurio auri remaneant.

4. Hanc materiam pone ad coquendum, vt leui igne, vel calore luminis pulucreſcat, vel vt ſimul coagulentur.

5. Materiam coagulatam ſublima in terram foliatam; nam terræ tuæ, ſeù terræ auri alas feciſti, quibus volare, & ſublimari poteſt.

6. Terram hanc foliatam potes ad tuum velle multiplicare; ſit V.G. illius pondus duarum vnciarum; iſtis duabus vncijs vnies ſimul in mortario vitreo cum piſtillo vitreo vnciam vnam dicti mercurij cum quarta parte auri animati, vt

ſupra;

ſupra;ac ſimul decoquendo calore leui coagulabis, & vt ſupra ſublimabis; vel antequam ſublimes, facta coagulatione,iterum nutries cum mercurio auro animato, vt ſupra; ac denuó coagulabis, ac tandem ſublimabis; & ſi totum in terram foliatam non ſublimabitur, deijcies ſublimatum, & contundes cum non ſublimato; & ſi opus erit addes portionem aliquam de mercurio, vt ſupra, cum quarta parte auri animato, & leui calore coagulabis, ac tandem ſublimabis. Terra foliata eſt leo rubeus, mercurius verò ſole animatus, quo leo rubeus nutritur, & augetur eſt leo viridis.

7. Nunc terram hanc foliatam conteres, ac nutries cum oleo ſolis in ſuo menſtruo ſoluto, & decoques; hæc autem nutritio fiat apponendo partem poſt partem dicti olei ſolaris, & ſingulis vicibus decoquendo, & per balneum leue

menſtruum vegetabile, vel animale ſeparando.

8. Terminata hac rubificatione dictæ terræ foliatæ, ſeù dicti ſulphuris, nam terra foliata ſulphur etiam vocatur; leui calore materia exſiccabitur; deinde beneficio menſtrui vegetabilis, vel animalis in aquam ſoluetur; & abſoluta diſſolutione, ſic cum menſtruo diſtillabitur, ad minus ter, vt magis materia ſubtilietur. Diſtillatione facta, ſeparabis per balneum leue menſtruum vegetabile, vel animale, aquam veró metallicam, ex auro, & mercurio ſic factam pone in paruo vitro, quòd ſigillatum hermeticè repones intra vas athanoris, & leui, ac æquali calore decoques, vſque ad perfectam fixationem. Materia autem decocta, & fixata dicitur ſal philoſophorum, & lapis philoſophorum, de quo ſi vis facere proiectionem, debes prius illum oleo ☉is incerare.

9.

9. Iam vides totum artificium conſiſtere in hoc, vt ex terra, ſcilicet, & auro, & mercurio ſimul coniunctis ſiat aqua; ac deinde aqua iterum in terram, ſeu in ſal philoſophicum per longam decoctionem vertatur.

10. Antequam tamen hunc lapidem inceres, & de illo proiectionem facias, illum debes ad minus ter multiplicare, (quamuis eadem methodo ſeruata in infinitum multiplicari poſſit,) vt ſequitur. Accipe igitur ſex vncias mercurij purgati, & vnciam vnam ſolis animati, cui vnies vnciam vnam huius ſalis philoſophici, benè ſimul miſcendo in mortario vitreo; deinde pone in vitro ad coquendum, & breui tempore fiet puluis, (nunc autem impoſterum opus non eſt facere terram foliatam,) quem puluerem ſolue cum menſtruo vegetabili, aut animali; & facta ſolutione omnia ter ſimul cum

menſtruo diſtilla; poſtea leui balneo menſtruum vegetabile, vel animale ſepara; hinc aquam metallicam pone ad fixandum, vt ſupra; & ſic apponendo ſemper aliquam partem de vltima medicina, poteris, vt ſupra tuum lapidem in infinitum multiplicare: & vt vides, multiplicatio eſt primæ operationis reiteratio; attamen breui tempore abſoluitur. Antequam verò ex illo proiectionem facias, eum oleo ſolis incerabis. In iſtis autem multiplicationibus; & nutritionibus, leo viridis, hoc eſt, mercurius ſole animatus, comedit leonem rubeum, ſcilicet, lapidem, ſeu ſal philoſophorum; deinde poſtea leo rubeus comedit, & deuorat leonem viridem, dum per decoctionem ſecum fixat in lapidem, ſiue in philoſophorum ſal ipſum leonem viridem. Dum autem lapis oleo ſolis inceratur, tunc dicitur, quòd leo deuorat

cau-

caudam ſuam; nam oleum ſolis ipſius lapidis cauda vocatur. Vel ſic operaberis.

1. Habeas vncias ſex aquæ mediæ ſubſtantiæ; & in eis ſolue vncias duas auri optimè calcinati, ſed apponendo partem, poſt partem de auro, & non totum ſimul, & ſolutio fiat ſupra cineres calidos, vel ad balneum vaporoſum, ore vaſis vitrei benè obturato. Vel priùs cum menſtruo vegetabili, aut animali ſolue dictas vncias auri, quas phyſicè ſolutas miſce cum dicta aqua mercuriali; & ter ſimul diſtilla: poſtea pone in vitro, ſigilla hermeticè, & decoque vſque ad fixationem. Deinde oleo ſolis incera, & fac proiectionem. Vel ante incerationem, lapidem multiplica, quantum vis, nam poteſt in infinitum multiplicari. Multiplicatio autem fit, accipiendo dictas aquas mercuriales ex auro, & ex media ſubſtantia, ac eis ap-

ponendo partem aliq
de cocto, V. G. vncia
lando ſimul, poſtea
fixando; & ſic ſemper
debitam portionem d
pide cocto, fiet mul
infinitum. Antequam
ctionem facias, debes
dem incerare, vt habe
tincturam, & facilè ta
fluat.

2. Aut ſic procedas.
cias duas mediè ſubſt
benè macina, & pone i
to ad ſublimandum; c
bibe cum aliqua parua
ſolaris, & per aliquot h
ſimo calore decoque,
quatuor, vel ſex horas;
blima; ſublimatum d
miſce cum non ſublima
in mortario vitreo cont
in vitro, iterum cum
imbibe; & fac, vt ſupra:
toties reitera, donec ille

mediæ ſubſtantiæ ſecum vnierint vnciam vnam oleij ſolis; ac toties ſublima, donec amplius ſublimari non poſſit, ſemper reponendo ſublimatum cum non ſublimato, ac ſimul contundendo. Si autem cum oleo ſolis eſſet de menſtruo vegetabili, vel animali; antequam ſublimes euaporabis leui calore ipſum menſtruum. Quando poſtea non poterit amplius ſublimari, ſed manebit materia in fundo vaſis fixa, tunc illam oleo ſolis incerabis, & cum ipſa proiectionem facies.

3. Hoc eodem modo, poteris ſal ſaturni oleo ſolis, imbibere, & facere omnia, quæ feciſti cum media ſubſtantia: nam faciet etiam bonam proiectionem.

4. Vel ſic incedes. Fac oleum fixum, miſcendo oleum ſolis, & oleum mercurii in debita proportione, V. G. partes æquales, & ſimul cum menſtruo circula per

vigınti dies, vel plus
oleum fixum; cuius vn
miſce cum vncijs ſexa
curij benè purgati; ag
vt perfectè miſceantu
ſupra cineres leues per
poſtea funde cum bal
cupella cum abundant
vt habes in libris.

De menſtruo animali,
bili.

C A P V T

IN primis fit ſpirit
vrinæ humanæ.
puerorum duodecim a
infra natorum vinum
quantum vis, ſcilicet,
triginta, aut quadra
ſuras, eaque putrefia
bitis probè munitis in
per menſem philoſoph
cet, per quadraginta

minato putrefactionis tempore; vrina diſtilletur ex arena per alembiccum in receptaculum ſatis capax, donec omnis humiditas ſatis ablata fuerit. Diſtillatum porró tertiò à capite mortuo vrinæ rectificetur, vt exindè ſpiritus iuſtè eleuari queat. Ex phiola igitur prolixioris colli cum ſuo alembicco, & recipiente iuncturis vndique benè munitis, ac per ſpongiam oleo oliuarum parcè imbibitam, & leuiter expreſſam in colli orificio ſtaminantem, per feruens balneum diſtillatio inſtituatur.

Eleuabitur ſic ſpiritus vrinæ inſtar cryſtalli, ac alembici ſpondilij adhæret, nulla aquea humiditate concomitante, ſed ſolo ſpiritu volatili prodeunte. Hæc verò diſtillatio ad completam totam eleuationem continuanda eſt. Fęce poſt ſpiritum in phiola reſidu abijciantur: quod verò ſuper in ſublimatione prodijt, cum aqua

plu-

pluuiali diſtillata ſolu
ligitur in alembico, ſi
do ex phiola, vt prius
giam oleaginoſam dili
que ſexies repetitur,
centem aquam diſtillat
do. Hic denique a
puritatem deductus ſpi
in phiolam reconditu
hermeticè ſigillato, per
dies lento calore balne
geritur, donec totus in
limpidum reſolutus fue
poſtea additur æquale p
ritus, vel alcholis vini, e
facti, & correcti; qui an
gidiſſimum locum poſi
hora vna, atque altera,
mum ſalem coagulantu
denuò per lentum calor
vaporoſi in phiola herm
lata, ſpatio viginti, a
dierum, in liquorem
tur, deinceps diligente
uandum.

Alcchol autem vini, ſiue ſpiritus vini ſic alcoholizatur, & fortificatur. Recipe vinum generoſum, quale eſt Hyſpanicum, vel ſimile, quod aliquandiù in fimo equino, vel in eius vicario balneo mariæ digere per quatuordecim dies. Poſtea per phiolam primum ſpiritum diſtilla, qui ſit ſine phlegmate, eumdemque aliquoties per eamdem phiolam rectifica, donec ad ſummam tenuitatem peruenerit. Huius ſpiritus vini libras duas, cum recentis vini eiuſdem conditionis libris ſex, & per phiolam denuò eamdem quantitatem librarum, nempè duarum non plus, nec minus, diſtillando prolice; & ità deinde eandem quantitatem librarum nempè duarum cum recenti vino homogeneo ſepties, & octies ſemper de nouo addita, & toties diſtillata libra ſecunda alcoholis fortiſſimi reſeruatio. Hunc ſpiritum hermeticè clauſum cuſtodies,

dies, eſt enim ſubtiliſ
penetrantiſſimus.

Nunc autem explica
quomodo per hunc ſ
uerſalis menſtrui, ſe
ſpiritum vniuerſalem
hunc philoſophorum
reducatur aurum in ſu
materiam, hoc eſt, quo
cè ſoluatur. Accipe a
natum per aquam reg
purgatum, nec ampliu
poſſit; vel quòd facilin
erit, calcina aurum c
rio; deinde hanc calc
uerberationem extrem
mam brunitatem redu
de calx iſta ſoluatur
ſtruo prius quoque
vrinæ, & ſpiritu vi
perfecto. Solutio au
in lento calore; rubeſc
quam ſanguis ſolutu
lutionem deinceps di
neo in vaſe hermetic

menſem. A fæcibus tandem ſolutionem ſepara;& poſtea à ſolutione lentiſſimi balnei calore abſtrahe ſpiritum ſoluentem, quem benè ſigillatum aſſeruabis, poterit enim ad eoſdem vſus perpetuò inſeruire. Sol autem manebit in forma olei rubicundiſſimi, ſuauem odorem de ſe ſpargentis,& in quolibet liquore ſolubilis: quod oleum ab aliquibus aurum potabile, vel illius ſupplementum vocatur; attamen non eſt verum aurum potabile,quod certè cum ſolo menſtruo vegetabili fieri debet, & cum eo circulari, vt alibi diximus.

Porrò oleum auri exaltatur, ſeù purius redditur, quando nimirum, ſpiritu ſolari à ſuo corpore ſeparato, ſola tinctura, in qua potentiſſima vis dumtaxat reſidet, per diſtillationem eleuatur. Solutionem itaque auri non per balneum diſtillamus, ſed per arenas, vaſe humili, hoc eſt benè

incli-

inclinato, & igne a
fortiori. Sic nimir
mam partem menſtru
qua eius parte ipſa
per alembicum tranſi
guinis, relinquendo
fundo vaſis terram ni
dam, ſpongioſam,
Ipſum autem menſtru
eum tinctura auri
balneo ſaltem tepido
cum ſeparatur. Hoc
dixi; non eſt verum, &
aurum potabile philoſ
o Vt igitur fiat per
rum potabile, fac menſ
uerſale ex ſpiritu vini
ſale, & ſulphure, vt
mus, & vocatur pars
magni ſapientum mag
bet enim vires reſolu
ralia phyſice; aurum
cat, ac habile, & effi
operandum reddit; v
illo non ſolùm auru
ilxxi

fiat; ſed etiam, vt cum additione mediæ ſubſtantiæ mercurij vulgi, philoſophorum lapis efficiatur.

Primò igitur accipe calcem auri, quantum vis, & huius menſtrui vniuerſalis, ſeù mercurij philoſophici totidem vncias; coniunge in cuccurbita, & ex balneo, iuncturis probè clauſis, & lutatis, lentiſſimè diſtilla, ac reaffuſo menſtruo, ſemel, atque iterum eandem diſtillationem repete. Tandem adhibito nouo menſtruo ex balneo ſicco per retortam vrge fortius, & ſimul cum eodem calx ſolis tranſibit, relictis pauciſſimis fæcibus. Quod tranſiuit in pelicano, vel alio vitro hermeticè clauſo, ad lentum calorem, vel ſolis, vel hypocauſti, vel ſimilem digere, donec aurum philoſophicè reſolutum in fundo vaſis reſideat, & ſeſe omninò ſpontè ſeparauerit à men-

ſtruo,

ſtruo, & aquoſitate ;
cautè remota, calcem
ſicca, eſt enim adm
tilis. Exſiccatam recor
lam proportionatam
talem, cuius quarta
xat ab ipſa calce occup
la hermeticè, & in calo
blando, admodumquè
per dies quatuordecim
cauendo, ne calx auri
hementia aſcendat,&
Poſtea colloca in arena
gradus ignis æquales
in octiduum ſerua, don
inſtar granati obſcur
denuò fixiſſimum fact
Hoc aurum facilè ſolu
ritu vini, & pro au
perfecto ægrotis iuxta
rum conſilium exhibet
Hæc de menſtruo
& animali, ac de ſolu
in ſuam primam mat
iterum apponere, n

errare poſſit: nam ſi habebit aurum benè, & phyſicè ſolutum, ac mediam ſubſtantiam optimè præparatam, procul dubio optimum philoſophorum lapidem conficiet.

Butyrum, vel ſaccharum, ſeu mel ſaturni, ex quo fit oleum ſaturni; ac poſtea ex iſto oleo, cum oleo auri fit medicina ad rubrum.

CAPVT XXV.

ACcipe minium, vel ceruſſam, hoc eſt ſaturnum calcinatum, aceto vini diſtillato humectetur, miſceatur, & exſiccetur. Tritæ materiæ affunde acetum diſtillatum, ad ſupereminentiam trium, vel quatuor digitorum, aut plurium; ſtet in loco calido, (caue tamen à fumo, eſt

enim

ſce ſimul , ac ſuper
octo optimi ſpiritus
agitando bocciam o
ventris autem bocciæ
tia pars ſit plena, eiu
ficium benè ſigillatum
putrefaciendum in fi
vel in balneo vapor
draginta dies: poſte
tam omnia ter diſtilla
(ſi opus erit) diſtill
non diſtillatum. Te
ſtillationibus per leu
neum ſpiritum vini di
verò pone in parua
collo curto, & opti
cuius venter ſit in
vacuus: tunc pone vit
nore, & leuiſſimo cal
quouſque materia ſit
riam coctam extrahe
& oleo ſolis incera,
cera fluat. Proiectio
medicina fac ſupra ſa
gatum, vel ſupra me

Si autem volueris multiplicare in quantitate hanc medicinam, ac ſimul in virtute. Accipe vncias ſex, vt ſupra ex oleo ſaturni, & ſole, ſicut quando poſuiſti ad putrefaciendum, & antequam ponas ad putrefaciendum, eis adde vncias duas dictæ medicinæ, ſuperpone ſpiritum vini, pone ad putrefaciendum, & reliqua fac vt ſupra: poſtea incera oleo ſolis, vel antè incerationem iterum cum vna parte huius ſecundæ medicinæ multiplica, faciendo omnia, vt ſupra, & ſic poteris multiplicare in infinitum apponendo ſemper debitam portionem vltimæ medicinæ; poſtea incera, & fac proiectionem.

viginti dies, vel plus ;
oleum fixum; cuius vn
miſce cum vncijs ſexa
curij benè purgati ; agi
vt perfectè miſceantur
ſupra cineres leues per
poſtea funde cum baln
cupella cum abundanti
vt habes in libris.

De menſtruo animali,
bili.

CAPVT X

IN primis fit ſpiritus
vrinæ humanæ. Re
puerorum duodecim an
infra natorum vinum bib
quantum vis, ſcilicet, vi
triginta, aut quadragin
ſuras, eaque putrefiat in
bitis probè munitis in fim
per menſem philoſophicu
cet, per quadraginta die

minato putrefactionis tempore, vrina diſtilletur ex arena per alembiccum in receptaculum ſatis capax, donec omnis humiditas ſatis ablata fuerit. Diſtillatum porrò tertiò à capite mortuo vrinæ rectificetur, vt exindè ſpiritus iuſtè eleuari queat. Ex phiola igitur prolixioris colli cum ſuo alembicco, & recipiente iuncturis vndique benè munitis, ac per ſpongiam oleo oliuarum parcè imbibitam, & leuiter expreſſam in colli orificio ſtaminantem, per feruens balneum diſtillatio inſtituatur.

Eleuabitur ſic ſpiritus vrinæ inſtar cryſtalli, ac alembici ſpondilij ædhæret, nulla aquea humiditate concomitante, ſed ſolo ſpiritu volatili prodeunte. Hæc verò diſtillatio ad completam totam eleuationem continuanda eſt. Fęce poſt ſpiritum in phiola reſidu abijciantur: quod verò ſupern ſublimatione prodijt, cum aqua plu-

pluuiali diſtillata ſoluitur, & colligitur in alembico, ſimilique modo ex phiola, vt prius, per ſpongiam oleaginoſam diſtillatur, idque ſexies repetitur, ſemper recentem aquam diſtillatam capiendo. Hic denique ad ſummam puritatem deductus ſpiritus vrinæ, in phiolam reconditus, & vaſe hermeticè ſigillato, per quindecim dies lento calore balnei roridi digeritur, donec totus in liquorem limpidum reſolutus fuerit. Huic poſtea additur æquale pondus ſpiritus, vel alcholis vini, ex vino ipſo facti, & correcti; qui ambo in frigidiſſimum locum poſiti, elapſa hora vna, atque altera, in albiſſimum ſalem coagulantur. Qui ſal denuò per lentum calorem balnei vaporoſi in phiola hermeticè ſigillata, ſpatio viginti, aut triginta dierum, in liquorem conuertitur, deinceps diligenter conſeruandum.

Alcohol

Alcohol autem vini, ſiue ſpiritus vini ſic alcoholizatur, & fortificatur. Recipe vinum generoſum, quale eſt Hyſpanicum, vel ſimile, quod aliquandiù in fimo equino, vel in eius vicario balneo mariæ digere per quatuordecim dies. Poſtea per phiolam primum ſpiritum diſtilla, qui ſit ſine phlegmate, eumdemque aliquoties per eamdem phiolam rectifica, donec ad ſummam tenuitatem peruenerit. Huius ſpiritus vini libras duas, cum recentis vini eiuſdem conditionis libris ſex, & per phiolam denuò eamdem quantitatem librarum, nempè duarum non plus, nec minus, diſtillando prolice; & ità deinde eandem quantitatem librarum nempè duarum cum recenti vino homogeneo ſepties, & octies ſemper de nouo addita, & toties diſtillata libra ſecunda alcoholis fortiſſimi reſeruatio. Hunc ſpiritum hermeticè clauſum cuſtodies,

dies, eſt enim ſubtiliſſimus, ac penetrantiſſimus.

Nunc autem explicandum eſt, quomodo per hunc fontem vniuerſalis menſtrui, ſeù per hunc ſpiritum vniuerſalem, ſiue per hunc philoſophorum mercurium reducatur aurum in ſuam primam materiam, hoc eſt, quomodo phyſicè ſoluatur. Accipe aurum calcinatum per aquam regis, & benè purgatum, nec amplius fulminare poſſit; vel quòd facilius, & tutius erit, calcina aurum cum mercurio; deinde hanc calcem per reuerberationem extremam in ſummam brunitatem reducito. Deinde calx iſta ſoluatur cum menſtruo prius quoque ex ſpiritu vrinæ, & ſpiritu vini completè perfecto. Solutio autem hæc fiat in lento calore; rubeſcet verò tanquam ſanguis ſolutus. Hanc ſolutionem deinceps digere in balneo in vaſe hermeticè clauſo per men-

menſem. A fæcibus tandem ſolutionem ſepara;& poſtea à ſolutione lentiſſimi balnei calore abſtrahe ſpiritum ſoluentem, quem benè ſigillatum aſſeruabis, poterit enim ad eoſdem vſus perpetuò inſeruire. Sol autem manebit in forma olei rubicundiſſimi, ſuauem odorem de ſe ſpargentis,& in quolibet liquore ſolubilis: quod oleum ab aliquibus aurum potabile, vel illius ſupplementum vocatur; attamen non eſt verum aurum potabile,quod certè cum ſolo menſtruo vegetabili fieri debet, & cum eo circulari, vt alibi diximus.

Porrò oleum auri exaltatur, ſeù purius redditur, quando nimirum, ſpiritu ſolari à ſuo corpore ſeparato, ſola tinctura, in qua potentiſſima vis dumtaxat reſidet, per diſtillationem eleuatur. Solutionem itaque auri non per balneum diſtillamus, ſed per arenas, vaſe humili, hoc eſt benè

incli-

inclinato, & igne aliquantulum fortiori. Sic nimirum poſt primam partem menſtrui, cum reliqua eius parte ipſa ſolis tinctura per alembicum tranſit, inſtar ſanguinis, relinquendo poſt ſe in fundo vaſis terram nigram, aridam, ſpongioſam, & leuem. Ipſum autem menſtruum, quod cum tinctura auri prodijt, in balneo ſaltem tepido per alembicum ſeparatur. Hoc tamen, vt dixi, non eſt verum, & perfectum aurum potabile philoſophicum.

Vt igitur fiat perfectum aurum potabile, fac menſtruum vniuerſale ex ſpiritu vini, cum ſuo ſale, & ſulphure, vt alibi diximus, & vocatur pars mercurialis magni ſapientum magiſterij; habet enim vires reſoluendi mineralia phyſicè, aurumque viuificat, ac habile, & efficax illud ad operandum reddit, vt poſtea ex illo non ſolùm aurum potabile

fiat;

fiat; ſed etiam, vt cum additione mediæ ſubſtantiæ mercurij vulgi, philoſophorum lapis efficiatur.

Primò igitur accipe calcem auri, quantum vis, & huius menſtrui vniuerſalis, ſeù mercurij philoſophici totidem vncias; coniunge in cuccurbita, & ex balneo, iuncturis probè clauſis, & lutatis, lentiſſimè diſtilla, ac reaffuſo menſtruo, ſemel, atque iterum eandem diſtillationem repete. Tandem adhibito nouo menſtruo ex balneo ſicco per retortam vrge fortius, & ſimul cum eodem calx ſolis tranſibit, relictis pauciſſimis fæcibus. Quod tranſiuit in pelicano, vel alio vitro hermeticè clauſo, ad lentum calorem, vel ſolis, vel hypocauſti, vel ſimilem digere, donec aurum philoſophicè reſolutum in fundo vaſis reſideat, & ſeſe omninò ſpontè ſeparauerit à menſtruo,

inclinato, & igne aliquantulum fortiori. Sic nimirum poſt primam partem menſtrui, cum reliqua eius parte ipſa ſolis tinctura per alembicum tranſit, inſtar ſanguinis, relinquendo poſt ſe in fundo vaſis terram nigram, aridam, ſpongioſam, & leuem. Ipſum autem menſtruum, quod cum tinctura auri prodijt, in balneo ſaltem tepido per alembicum ſeparatur. Hoc tamen, vt dixi, non eſt verum, & perfectum aurum potabile philoſophicum.

Vt igitur fiat perfectum aurum potabile, fac menſtruum vniuerſale ex ſpiritu vini, cum ſuo ſale, & ſulphure, vt alibi diximus, & vocatur pars mercurialis magni ſapientum magiſterij; habet enim vires reſoluendi mineralia phyſicè, aurumque viuificat, ac habile, & efficax illud ad operandum reddit, vt poſtea ex illo non ſolùm aurum potabile

fiat;

fiat; ſed etiam, vt cum additione mediæ ſubſtantiæ mercurij vulgi, philoſophorum lapis efficiatur.

Primò igitur accipe calcem auri, quantum vis, & huius menſtrui vniuerſalis, ſeù mercurij philoſophici totidem vncias; coniunge in cuccurbita, & ex balneo, iuncturis probè clauſis, & lutatis, lentiſſimè diſtilla, ac reaffuſo menſtruo, ſemel, atque iterum eandem diſtillationem repete. Tandem adhibito nouo menſtruo ex balneo ſicco per retortam vrge fortius, & ſimul cum eodem calx ſolis tranſibit, relictis pauciſſimis fæcibus. Quod tranſiuit in pelicano, vel alio vitro hermeticè clauſo, ad lentum calorem, vel ſolis, vel hypocauſti, vel ſimilem digere, donec aurum philoſophicè reſolutum in fundo vaſis reſideat, & ſeſe omninò ſpontè ſeparauerit à menſtruo,

ſtruo, & aquoſitate; qua ab auro cautè remota, calcem leuiter exſicca, eſt enim admodum volatilis. Exſiccatam reconde in phiolam proportionatam, hoc eſt, talem, cuius quarta pars duntaxat ab ipſa calce occupetur; ſigilla hermeticè, & in calore cinerum blando, admodumque leui pone per dies quatuordecim; prudenter cauendo, ne calx auri caloris vehementia aſcendat, & ſublimetur. Poſtea colloca in arenam, & per gradus ignis æquales de octiduo in octiduum ſerua, donec aurum, inſtar granati obſcurè rubentis denuò fixiſſimum factum fuerit. Hoc aurum facilè ſoluitur in ſpiritu vini, & pro auro potabili perfecto ægrotis iuxta Medicorum conſilium exhibetur.

Hæc de menſtruo vegetabili, & animali, ac de ſolutione auri in ſuam primam materiam volui iterum apponere, ne operarius

errare

errare poſſit: nam ſi habebit aurum benè, & phyſicè ſolutum, ac mediam ſubſtantiam optimè præparatam, procul dubio optimum philoſophorum lapidem conficiet.

Butyrum, vel ſaccharum, ſeu mel ſaturni, ex quo fit oleum ſaturni; ac poſtea ex iſto oleo, cum oleo auri fit medicina ad rubrum.

CAPVT XXV.

Accipe minium, vel ceruſſam, hoc eſt ſaturnum calcinatum, aceto vini diſtillato humectetur, miſceatur, & exſiccetur. Tritæ materiæ affunde acetum diſtillatum, ad ſupereminentiam trium, vel quatuor digitorum, aut plurium; ſtet in loco calido, (caue tamen à fumo, eſt enim

enim præcipuè capiti nociuus,) vel in cineribus in digeſtionem per duos dies, quater quotidie agitando, & acetum in colorem flauum, ac ſaporem dulcem mutabitur: (vaſa autem ſint vitrea) acetum coloratum effunde, ſeù decanta; & reitera laborem, affundendo nouum acetum, donec non amplius coloretur, & dulceſcat. Ab omnibus decantationibus abſtrahe per balneum acetum, & manebit in fundo vaſis materia velut gummi, ac inſtar mellis: cui affundes aquam pluuialem diſtillatam, vt denuò ſoluatur, & fæces reſiduæ aceti ad fundum cadant; perge recentem aquam affundere cineri, ſeù fæcibus, donec nil amplius extrahat: aquam decantatam, ſiue filtratam euapora vſque ad cuticulam, & exſicca, & habebis ſal, quod in cella humida in oleum reſoluetur.

Si autem volueris hoc ſal magis

perficere; antequam illud in cellario ſoluas, iterum ei acetum diſtillatum affunde, vt viciſſim ſoluatur in cineribus calidis per tres, vel quatuor dies, mouendo, & agitando ſępius vas; clarum filtrando effunditur, fęcibus abiectis, à decantationibus acetum euaporatur: ſi hoc aliquoties reiteretur, ſal erit pulcherrimum, & cryſtalliſnum, quod vltimo in aqua pluuiali diſtillata ſoluitur, aqua euaporatur vt ſupra, ac tandem per ſe in cellario in oleum liqueſcit.

At verò ſi volueris vlterius progredi, vt cum dicto oleo medicinam ad aurum facias: poſtquam ſoluiſti dictum ſal in cellario in oleum; illud oleum per retortam lutatam ter per ſe diſtilla, vt magis ſubtilietur, & purificetur: deinde accipe vncias quatuor huius olei, & vncias duas puriſſimi auri, optimè calcinati, & aperti, & miſce

ſce ſimul , ac ſuperpone vncias octo optimi ſpiritus vini, & benè agitando bocciam omnia miſce; ventris autem bocciæ tantùm tertia pars ſit plena, eiuſdemque orificium benè ſigillatum ; & pone ad putrefaciendum in fimo equino, vel in balneo vaporoſo per quadraginta dies: poſtea per retortam omnia ter diſtilla, reponendo (ſi opus erit) diſtillatum ſupra non diſtillatum. Terminatis diſtillationibus per leuiſſimum balneum ſpiritum vini diſtilla; reliquū verò pone in parua boccia cum collo curto, & optimè ſigillato; cuius venter ſit in maiori parte vacuus: tunc pone vitrum in athanore, & leuiſſimo calore decoque, quouſque materia ſit fixa. Materiam coctam extrahe, pulueriza, & oleo ſolis incera, vt tanquam cera fluat. Proiectionem ex hac medicina fac ſupra ſaturnum purgatum, vel ſupra mercurium.

Si

Si autem volueris multiplicare in quantitate hanc medicinam, ac ſimul in virtute. Accipe vncias ſex, vt ſupra ex oleo ſaturni, & ſole, ſicut quando poſuiſti ad putrefaciendum, & antequam ponas ad putrefaciendum, eis adde vncias duas dictæ medicinæ, ſuperpone ſpiritum vini, pone ad putrefaciendum, & reliqua fac vt ſupra: poſtea incera oleo ſolis, vel antè incerationem iterum cum vna parte huius ſecundæ medicinæ multiplica, faciendo omnia, vt ſupra, & ſic poteris multiplicare in infinitum apponendo ſemper debitam portionem vltimæ medicinæ; poſtea incera, & fac proiectionem.

Dealbatio veneris, & reductio argenti viui ad duritiem, & colorem argenti, vel auri.

CAPVT XXVI.

DEalbatio veneris fieri debet, vt ſequitur. Accipe menſuras duas potentiſſimi aceti, ſed non diſtillati, & menſuram vnam vrinæ; miſce, ac pone cum illis tartari crudi pulueriza vncias tres, & ana ſalis alkali, vel in defectum illius, ana cinerum ſaponariorum, qui cineres italicè vocantur ſoda. Hinc bulliant ſimul ad minus per mediam horam, vaſe cooperto: deinde acetum, & vrinam decanta; eiſque adde nouum acetum, & vrinam, ita quód in totum habeas quinque menſuras dicti lixiuij. Poſtea candefac intra carbones accenſos lamellas

veneris

veneris antiquæ, quæ prorſus ſine ſtanno ſint, eaſque lamellas ſic ignitas in dictum lixiuium immerge, ac extingue; & hoc ter, vel quater reiterabis: tunc autem dictas lamellas benè exſiccatas ter, vel quater funde, & qualibet vice intra dictum lixiuium ſupra ſcopam, vt moris eſt, proijce, & fient veluti lapilli, ac globuli: ſic autem habebis venerem præparatam, & competenter albam, vt perfectiſſimè poſtea cum ſequenti medicina dealbetur, & perficiatur.

Medicinam veró ſic facies. Accipe tartari calcinati, ſublimati veneti, talci veneti, & arſenici cryſtallini ex omnibus, ana: piſta omnia, eaque pone in paruo vrinali, & ſuperfunde tantùm de perfecto ſpiritu vini, qui ſcilicet, in diſtillatione primò exit, & non eſt neceſſe, vt ipſe ſpiritus ſit rectificatus, vt materiæ duobus digitis

ſupereminеat, ac leuiter decoque, & totum in oleum vertetur, quod calorem continuando exſiccabis: deinde materiam exſiccatam ſolue in aqua forti, & exſicca; multi tamen hoc ſoluere in aqua forti relinquunt.

Nunc verò funde libram vnam veneris, vt ſupra purgatæ, & ſupra illam fuſam proijce duas, vel tres vncias dictæ medicinæ, aut quantum ſufficiet: ſed medicinæ, quam proijcies, miſcebis de borace aurifabrorum; nec dictas medicinæ vncias proijcies omnes ſimul, ſed partem poſt partem. Venus autem eueniet tanquam argentum finum: & erit materia dulcis, fuſibilis, & malleabilis, ſed cupellæ non reſiſtet.

Modò videndum eſt, quomodò argentum viuum ad metalli duritiem reducatur, & ad colorem argenti, vel auri. Accipe vitrioli romani rubificati, aluminis rochæ

calci-

calcinati, & cinnabaris ana, vncias ſex, ac ſalis nitri libram vnam, & ex illis mixtis diſtilla aquam fortem, vt benè omnes ſpiritus eggrediantur: poſtea in hac aqua forti pone vncias tres ſalis armoniaci, & vncias ſex ſulphuris vini citrini, & vncias quatuor aluminis plumæ, & diſtilla in principio igne leui, & in fine igne forti, ita quód diſtilletur totum id, quòd diſtillari poterit. Deinde accipe totam iſtam aquam; & in ea pone libram vnam mercurij, & vncias ſex olei ſaturni, ac iterum totam aquam diſtilla, & in vitro benè clauſo eam conſerua.

Poſtea accipe vnciam vnam dictæ aquæ, eamque pone in parua boccia, quam pone ſupra cineres calidos, & pone intra bocciam libram vnam mercurij benè purgati, & calorem continua, & tota materia congelabitur, ac fixabitur. Si hanc materiam ſic fixatam

pones ad aquam ſeparationis magnam quantitatem auri dabit. Ceterum hæc materia argentea erit malleabilis, ſed cupellæ non reſiſtet. Si tamen poneres libram illam mercurij animatam cum vncia vna ſolis calcinati, & poſtea, vt dixi, cum vncia illa dictæ aquæ decoqueres, & fixares; tunc per aquam ſeparationis cum magno lucro multum auri aquireres.

Oleum autem ſaturni pro dicto opere, ſic fiet. Accipe limaturam ſaturni ad tuum beneplacitum; miſce dictam limaturam cum ſale armoniaco piſtato, & cum medietate aceti diſtillati, ac totum pone intra bocciam, & boccia clauſa per tres dies ſtent ſic in infuſione, ſingulis tamen diebus vitrum ter, vel quater per gyrum agitabis; & quando materia in aquam erit redacta, tunc diſtiila aquam, & in fundo remanebit ſaturni oleum.

De diuerſis tincturis, & oleis ex antimonio, & ex marte extractis.

CAPVT XXVII.

PLacet in primis oſtendere modum conficiendi regulam antimonij. Accipe antimonij crudi, vngarici, & venas lungas habentis, ſalis nitri, tartari, & carbonum ſingulorum ana; ſcorſim omnia ſubtiliſſimè pulueriza, & poſtea miſce. Deinde pone crucibulum amplum, & forte ſupra carbones accenſos, & quando erit benè ignitum, in illud pone cum cochleari ferreo duas, vel tres vncias dictorum pulnerum, & ſtatim cooperi terreo cooperculo; & relinque ita coopertum, quouſque primi fùmi tranſierint; illis tranſactis; iterum appone duas, vel tres vncias dictorum puluerum,

vt ſupra, & cooperiendo, vt ſupra; ac ſic continua, quouſque totum pulberem appoſueris. Aduertendum tamen, cum appones puluerem, qui ſtatim magnam excitabit flammam; ne dicta flamma ad tuum vultum perueniat; multum quidem noceret: ſicut etiam ab illius fumo cauendum, eſt enim ſummè venenoſus: quare hoc opus ad apertum aerem fieri debet; vt ventus, qui flat, pellat fumum ad aliam partem, & non verſus operarium. Poſitis verò omnibus pulueribus, da ignem fuſionis per vnum miſerere; hinc depone crucibulum ab igne; eoque infrigidato, regulum à fęcibus ſepara, erit enim in fundo crucibuli tanquam argentum. Si autem volueris habere dictum regulum magis purificatum, poteris denuò ſoluere, ſed tantùm cum ſale nitro, & tartaro.

Non deſunt, qui dictum regu-

lum

lum miſcent cum venere antiqua, ana; & ſic habent regulum compoſitum tanquam argentum, pro annulis, & alijs ornamentis faciendis.

Vt educatur tinctura ex ſupradictis fæcibus reguli antimonij. Accipe ſupradictas fæces antimonij, quæ poſt effectionem reguli remanſerunt, caſque ſubtiliſſimè piſta, & per incernibulum fixum cribres; hunc puluerem pone in olla noua, & vitreata, & cum aqua communi fac ſimul bullire, & puluis ſit benè cum aqua ſolutus. Tunc per cartam emporeticam, aquam, ſeù totam ſolutionem calidam filtra; poſt verò filtrationem, & aqua frigefacta, pone in illam aliquam particulam aceti diſtillati, tunc pedetentim tota tinctura fundum vaſis petet: tunc per inclinationem ſepara aquam; & puluerem cum aqua communi edulcora, & ablue, ac

exſicca. Hic puluis eſt tinctura antimonij, & poteſt facillimè ſolui, vel cum aqua, aut aceto diſtillato, vel ſpiritu vini. Hac tinctura potes reddere ſuum colorem auro albo, vel ſimul cum mercurio optimo, ſole animato, potes facere aliquod opus valdè vtile, dummodò omnia benè miſceantur, & vſque ad fixationem decoquantur.

Fit oleum Antimonij. Accipe antimonij optimi, & crudi; Aluminis rocchæ, & zachari fini, ſingulorum ana; omnia benè pulueriza, ac pone intra retortam optimè lutatam, & lento igne per quatuor, aut quinque horas diſtilla; poſtea ignem auge, & egredietur rubicundiſſimum oleum inſtar ſanguinis.

Alio modo fit. Accipe partes æquales antimonij crudi, & zachari canditi; benè pulueriza, ac pone in retortam, & ad cineres di-

diſtilla igne temperato, & eggredietur oleum.

Sunt, qui oleum antimonij miſcent cum ſpiritu vini, ac ſimul ter diſtillant; deinde in hoc menſtruo compoſito ponunt debitam portionem ſolis optimi, & perfectè calcinati, ac benè aperti; & ſoluto auro per digeſtionem ad leue balneum cum menſtruo, per retortam benè inclinatam ad calorem competentem ter ſimul diſtillant; poſtea, ſeparato ad leuiſſimum balneum ſpiritu vini, reliquum ponunt in vitro, cuius ventris tertia tantùm pars ſit plena; & ſigillatò vitro hermeticè, illud pone in athanore, ac leui, & æquali calore vſque ad perfectam fixationem decoque; poſtea oleo ſolis incera, & fac proiectionem. Vel opus reitera ante incerationem, & multiplica, eo modo, quo dictum eſt circa modum multiplicationis: nam multipli-

catio eſt, vt diximus, primi operis repetitio.

Quomodo fiat oleum martis. Accipe limaturam ferri, eamque cum vrina deſpumata imbibe; deinde pone ad calcinandum ad ignem reuerberii; ita quòd limatura fiat tanquam puluis impalpabilis: hinc pone dictum puluerem in retortam benè lutatam, eamque denuò cum vrina purgata imbibe, & diſtilla eò modo, quò aqua fortis diſtillatur per horas viginti quatuor, dando ignem per gradus, vt in diſtillatione aquæ fortis fieri ſolet; & habebis oleum denſum, in quo ſi extinſeris quodcunque metallum ignitum, ſtatim vt aurum colorabitur; vel ſi ſupra metallum ignitum guttatim ſtillaueris de dicto oleo, vt aurum etiam colorabitur: ſimiliter ſi ter plumbum ſolutum proijcias intra hoc oleum, intus & extra fiet vt aurum, ſed ſunt opera ſophiſtica,

opus

opus tamen lucroſum habebis, ſi cum huius olei partibus tribus vncias ſex mercurij benè miſceas; deinde ab hac materia abſtrahas, ſepties, vel octies vnam ex dictis aquis graduatorijs, & tingentibus; nam habebis materiam fixam, qua poteris pulcherrima opera efformare.

Ex marte alia tinctura extrahitur. Accipe ſcoriam ferri, quam proijciunt, qui in fornacibus ferrum efficiunt, & eſt coloris cerulei, & eſt lucida, vt vitrum; iſtas autem fæces, ſeu ſcorias ſubtiliſſimè piſta, eaſque pone in vaſe vitreo magni orificij, eiſque ſuper aſfunde acetum diſtillatum, & pone ad ignem mediocrem, vt vix bullitionem eleuet, & ſic tene per quindecim dies; aut in ęſtate ad ſolem calidum: acetum autem colorabitur rubeo colore; acetum tinctum filtra; & ſupra materiam aliud acetum appone, & fac

vt

vt ſupra: hoc autem magiſterium toties continua, quòuſque acetum amplius non coloretur. Accipe poſtea omnia aceta colorata, & in vrinali per balneum acetum diſtilla, & in fundo remanebit materia quædam rubea; ſupra quam affunde aquam communem, & aquam per balneum diſtilla; & hoc bis, vel ter repete, ſemper cum recenti aqua communi, & quòſque materia aceti ſaporem perdiderit. Hæc tinctura eſt fixa, & cum illa fixabis mercurium, opus lucroſum habebis. Hęc autem tinctura vocatur quinta eſſentia martis.

§§§§§§

De

De mercurio, & antimonio, vt ex illis fiat oleum chymicum.

CAPVT XVIII.

ACcipe mercurij ſublimati vncias octo, & mercurij viui, ſed benè purgati, vncias ſex: tere ſimul in mortario lapideo, apponendo partem poſt partem de mercurio viuo, donec totus mercurius viuus à ſublimato abſumptus fuerit: deinde ſublima in phiola, ad medietatem tantùm plena; ſublimatio autem fiat in arena; & intra ſpatium octo, vel decem horarum, ſublimatio abſoluetur: expleta ſublimatione, frange vas; mercurium viuum, qui reperietur, ſerua, poteris enim illo, alijs vicibus vti; ſublimatum contere, denuò ter per ſe, & ſine additione rei extraneæ, ſublima, & euadet ſubli-

ſublimatus inſtar cryſtalli pellucidus. Si pulueriżetur, & ſupra marmor ponatur in loco frigido, & humido, cadet in oleum, quod filtra, & poſtea bis, vel ter diſtilla, & habebis oleum mercurij, quod ſoluet aurum, & cum iſtis opera magna efficere poteris.

Alio modo fit. Accipe libram vnam mercurij crudi, benè purgati, & reguli antimonij libram mediam, miſce ſimul, & ſublima; iterum ſublimatum cum non ſublimato miſce, & ſublima, & hoc tertia vice repetendum eſt; hæ ſublimationes per arenam fiunt.

Vt verò habeas flores butyri antimonij, ſic operaberis. Accipe reguli antimonij vngarici, & mercurij ſublimati, ana; vel libram vnam mercurij ſublimati, & mediam libram antimonij, terantur, ac miſceantur diligenter, & in retorta vitrea luto obducta in arena mediocri igne diſtillentur; (in reci-

ci-

cipiente apponi poterit de aqua communi frigida,) tunc liquor inſtar butyri, ſeu glaciei eggredietur. Si autem concreſcit in collo retortæ, vt ſæpè fieri ſolet, tunc extrinſecè ad collum retortæ admota pruna forcipe comprehenſa liqueſcat, ne obſtructione impediatur diſtillatio.

Tunc recipe totum diſtillatum; eique ſuperfunde aquam calidam, ſic ſalia corroſiua reſoluentur, & flores albi fundum petent; qui diligentiſſimè aqua calida ab omni ſalſedine edulcorandi ſunt.

Si quis autem butyrum iſtud antimonij prius voluerit rectificare, antequam aquam affundat, ei licebit; ſic enim flores candidiores habebit.

Aduertendo autem in piſtandis antimonio, & ſublimato, ne fumus operarijs noceat.

Si quis autem miſceat cum hoc hoc oleo antimonij, & apponat aurum

aurum radicaliter, ſeù phyſicè ſolutum, & ſic cum auro fermentetur, inſignia magna operabitur.

Dictum autem butyrum antimonij in cælario ſoluetur in oleum, quod oleum ſoluet phyſicè aurum benè calcinatum, &c.

Si dictum butyrum antimonij nutrias cum auro radicaliter ſoluto, hoc eſt cum oleo auri, & ſublimes; hoc autem nutrire, & ſublimare toties repetas, quod amplius ſublimari non poſſit: habebis optimum lapidem, facientem proiectionem ſuper mercurium, ſaturnum, & alia metalla.

* * * *
* * * *

De

De modo operandi circa antimonium, & mercurium.

CAPVT XXX.

MOdus operandi cum antimonio conſiſtit in hoc, quód antimonium, & aurum coniungantur ſimul per minima, & poſtea ſimul coquantur, vt infra dicetur.

Accipe libram vnam mercurij ſublimati per vitriolum, & ſalem, cui adde libras tres reguli antimonij vngarici, terantur ſimul, & miſceautur, & in retorta per arenam diſtillentur: liquorem eggreſſum ſemel per retortam rectifica. Iſtud vocatur butyrum antimonij. Poſtea calore, vel aquę, vel cinerum liquefactum effunde in vitrum capax, hoc eſt in cuccurbita ampla, quæ collum lungum habeat; & affunde aquam

regis,

regis, vel ſolum ſpiritum nitri, & melius erit; ſed affunde guttatim propter ſtrepitum, & efferueſcentiæ periculum. Vbi autem videris totam materiam ſolutam affunde, ſi V. G. erunt ſex vnciæ olei, vnciam vnam auri in aqua regis prius ſeorſim ſoluti; iſta autem mixtio debet manere non turbida, ſed clara, & rubicundiſſima. Deinde totam hanc ſolutionem pone in alembico benè lutato: addito capitello, & recipiente, ac iuncturis benè munitis: ſeruatis poſtea gradibus ignis, incipe phlegma abſtrahere; (ſpatio duorum dierum opus abſoluitur) vltimo fortifica ignem, vt diſtilletur quidquid diſtillari poterit: refrigerato autem vaſe, & fracto reperies quandam materiam ſubflauam, & ſicciſſimam, & à libra vna olei habebis poſt exſiccationem dimidiam libram terræ.

Melius tamen erit menſtruum ab-

abſtractum, & diſtillatum aliquoties cohobare ſupra eamdem materiam, ſingulis vicibus addendo parum de nouo ſpiritu vini, & poſtea igne forti exſiccare, vt dictum eſt; ſic enim plùs de antimonio fixabitur.

Aliqui experientiam fecerunt, an iſtam materiam poſſent reducere in corpus, & cupellare, tali pacto. Acceperunt duplum ſulphuris communis ad partemvnam huius terræ fixę, & ſuper marmor ſimul puluerizauerunt, & in tigillo liquefecerunt, & liquefaciendo fecerunt, vt ſulphur ignem cōceperet, quod permiſerunt ſpontè ceſſari, & remanebat in tigillo puluis gryſſeus, qui in fluxu auri in idem proiectus admiſcebatur auro: ſed ex vncia vna auri remanebant quatuor drachmæ, quæ tamen ad cinericium peribant. Non enim erat materia ſufficienter fixa, nec aurum erat philoſo-

phicé,

exſicca. Hic puluis eſt tinctura antimonij, & poteſt facillimè ſolui, vel cum aqua, aut aceto diſtillato, vel ſpiritu vini. Hac tinctura potes reddere ſuum colorem auro albo, vel ſimul cum mercurio optimo, ſole animato, potes facere aliquod opus valdè vtile, dummodò omnia benè miſceantur, & vſque ad fixationem decoquantur.

Fit oleum Antimonij. Accipe antimonij optimi, & crudi; Aluminis rocchæ, & zachari fini, ſingulorum ana; omnia benè pulueriza, ac pone intra retortam optimè lutatam, & lento igne per quatuor, aut quinque horas diſtilla; poſtea ignem auge, & egredietur rubicundiſſimum oleum inſtar ſanguinis.

Alio modo fit. Accipe partes æquales antimonij crudi, & zachari canditi; benè pulueriza, ac pone in retortam, & ad cineres di-

diſtilla igne temperato, & eggredietur oleum.

Sunt, qui oleum antimonij miſcent cum ſpiritu vini, ac ſimul ter diſtillant; deinde in hoc menſtruo compoſito ponunt debitam portionem ſolis optimi, & perfectè calcinati, ac benè aperti; & ſoluto auro per digeſtionem ad leue balneum cum menſtruo, per retortam benè inclinatam ad calorem competentem ter ſimul diſtillant; poſtea, ſeparato ad leuiſſimum balneum ſpiritu vini, reliquum ponunt in vitro, cuius ventris tertia tantùm pars ſit plena; & ſigillato vitro hermeticè, illud pone in athanore, ac leui, & æquali calore vſque ad perfectam fixationem decoque; poſtea oleo ſolis incera, & fac proiectionem. Vel opus reitera ante incerationem, & multiplica, eo modo, quo dictum eſt circa modum multiplicationis: nam multipli-

catio eſt, vt diximus, primi operis repetitio.

Quomodo fiat oleum martis. Accipe limaturam ferri, eamque cum vrina deſpumata imbibe; deinde pone ad calcinandum ad ignem reuerberi; ita quòd limatura fiat tanquam puluis impalpabilis: hinc pone dictum puluerem in retortam benè lutatam, eamque denuò cum vrina purgata imbibe, & diſtilla eò modo, quò aqua fortis diſtillatur per horas viginti quatuor, dando ignem per gradus, vt in diſtillatione aquæ fortis fieri ſolet; & habebis oleum denſum, in quo ſi extinſeris quodcunque metallum ignitum, ſtatim vt aurum colorabitur; vel ſi ſupra metallum ignitum guttatim ſtillaueris de dicto oleo, vt aurum etiam colorabitur: ſimiliter ſi ter plumbum ſolutum proijcias intra hoc oleum, intus & extra fiet vt aurum, ſed ſunt opera ſophiſtica,

opus

opus tamen lucroſum habebis, ſi cum huius olei partibus tribus vncias ſex mercurij benè miſceas; deinde ab hac materia abſtrahas, ſepties, vel octies vnam ex dictis aquis graduatorijs, & tingentibus; nam habebis materiam fixam, qua poteris pulcherrima opera efformare.

Ex marte alia tinctura extrahitur. Accipe ſcoriam ferri, quam proijciunt, qui in fornacibus ferrum efficiunt, & eſt coloris cerulei, & eſt lucida, vt vitrum; iſtas autem fæces, ſeù ſcorias ſubtiliſſimè piſta, eaſque pone in vaſe vitreo magni orificij, eiſque ſuper affunde acetum diſtillatum, & pone ad ignem mediocrem, vt vix bullitionem eleuet, & ſic tene per quindecim dies; aut in ęſtate ad ſolem calidum: acetum autem colorabitur rubeo colore; acetum tinctum filtra; & ſupra materiam aliud acetum appone, & fac

vt

De mercurio, & antimonio, vt ex illis fiat oleum chymicum.

CAPVT XVIII.

ACcipe mercurij ſublimati vncias octo, & mercurij viui, ſed benè purgati, vncias ſex: tere ſimul in mortario lapideo, apponendo partem poſt partem de mercurio viuo, donec totus mercurius viuus à ſublimato abſumptus fuerit: deinde ſublima in phiola, ad medietatem tantùm plena; ſublimatio autem fiat in arena; & intra ſpatium octo, vel decem horarum, ſublimatio abſoluetur: expleta ſublimatione, frange vas; mercurium viuum, qui reperietur, ſerua, poteris enim illo, alijs vicibus vti; ſublimatum contere, dennò ter per ſe, & ſine additione rei extraneæ, ſublima, & euadet ſubli-

ſublimatus inſtar cryſtalli pellucidus. Si pulueriƶetur, & ſupra marmor ponatur in loco frigido, & humido, cadet in oleum, quod filtra, & poſtea bis, vel ter diſtilla, & habebis oleum mercurij, quod ſoluet aurum, & cum iſtis opera magna efficere poteris.

Alio modo fit. Accipe libram vnam mercurij crudi, benè purgati, & reguli antimonij libram mediam, miſce ſimul, & ſublima; iterum ſublimatum cum non ſublimato miſce, & ſublima, & hoc tertia vice repetendum eſt; hæ ſublimationes per arenam fiunt.

Vt verò habeas flores butyri antimonij, ſic operaberis. Accipe reguli antimonij vngarici, & mercurij ſublimati, ana; vel libram vnam mercurij ſublimati, & mediam libram antimonij, terantur, ac miſceantur diligenter, & in retorta vitrea luto obducta in arena mediocri igne diſtillentur; (in reci-

cipiente, apponi poterit de aqua communi frigida,) tunc liquor inſtar butyri, ſeù glaciei eggredietur. Si autem concreſcit in collo retortæ, vt ſæpè fieri ſolet, tunc extrinſecè ad collum retortæ admota pruna forcipe comprehenſa liqueſcat, ne obſtructione impediatur diſtillatio.

Tunc recipe totum diſtillatum; eique ſuperfunde aquam calidam, ſic ſalia corroſiua reſoluentur, & flores albi fundum petent; qui diligentiſſimè aqua calida ab omni ſalſedine edulcorandi ſunt.

Si quis autem butyrum iſtud antimonij prius voluerit rectificare, antequam aquam affundat, ei licebit; ſic enim flores candidiores habebit.

Aduertendo autem in piſtandis antimonio, & ſublimato, ne fumus operarijs noceat.

Si quis autem miſceat cum hoc hoc oleo antimonij, & apponat

aurum

aurum radicaliter, ſeù phyſicè ſolutum, & ſic cum auro fermentetur, inſignia magna operabitur.

Dictum autem butyrum antimonij in cælario ſoluetur in oleum, quod oleum ſoluet phyſicè aurum benè calcinatum, &c.

Si dictum butyrum antimonij nutrias cum auro radicaliter ſoluto, hoc eſt cum oleo auri, & ſublimes; hoc autem nutrire, & ſublimare toties repetas, quod amplius ſublimari non poſſit: habebis optimum lapidem, facientem proiectionem ſuper mercurium, ſaturnum, & alia metalla.

* * * *
* * *

De modo operandi circa antimonium, & mercurium.

CAPVT XXX.

MOdus operandi cum antimonio conſiſtit in hoc, quòd antimonium, & aurum coniungantur ſimul per minima, & poſtea ſimul coquantur, vt infra dicetur.

Accipe libram vnam mercurij ſublimati per vitriolum, & ſalem, cui adde libras tres reguli antimonij vngarici, terantur ſimul, & miſceantur, & in retorta per arenam diſtillentur: liquorem eggreſſum ſemel per retortam rectifica. Iſtud vocatur butyrum antimonij. Poſtea calore, vel aquę, vel cinerum liquefactum effunde in vitrum capax, hoc eſt in cuccurbita ampla, quæ collum lungum habeat; & affunde aquam regis,

regis, vel ſolum ſpiritum nitri, & melius erit; ſed affunde guttatim propter ſtrepitum, & efferueſcentiæ periculum. Vbi autem videris totam materiam ſolutam affunde, ſi V. G. erunt ſex vnciæ olei, vnciam vnam auri in aqua regis prius ſeorſim ſoluti; iſta autem mixtio debet manere non turbida, ſed clara, & rubicundiſſima. Deinde totam hanc ſolutionem pone in alembico benè lutato: addito capitello; & recipiente, ac iuncturis benè munitis: ſeruatis poſtea gradibus ignis, incipe phlegma abſtrahere; (ſpatio duorum dierum opus abſoluitur) vltimo fortifica ignem, vt diſtilletur quidquid diſtillari poterit: refrigerato autem vaſe,& fracto reperies quandam materiam ſubflauam, & ſicciſſimam, & à libra vna olei habebis poſt exſiccationem dimidiam libram terræ.

Melius tamen erit menſtruum

ab-

abſtractum, & diſtillatum aliquoties cohobare ſupra eamdem materiam, ſingulis vicibus addendo parum de nouo ſpiritu vini, & poſtea igne forti exſiccare, vt dictum eſt; ſic enim plùs de antimonio fixabitur.

Aliqui experientiam fecerunt, an iſtam materiam poſſent reducere in corpus, & cupellare, tali pacto. Acceperunt duplum ſulphuris communis ad partem vnam huius terræ fixę, & ſuper marmor ſimul puluerizauerunt, & in tigillo liquefecerunt, & liquefaciendo fecerunt, vt ſulphur ignem cōceperet, quod permiſerunt ſpontè ceſſari, & remanebat in tigillo puluis gryſſeus, qui in fluxu auri in idem proiectus admiſcebatur auro: ſed ex vncia vna auri remanebant quatuor drachmæ, quæ tamen ad cineričium peribant. Non enim erat materia ſufficienter fixa, nec aurum erat philoſo-

phicé,

phicè, & perfectè butyro mixtum: Vltra quòd materia illa grypſea antequam fundatur cum auro, debet aqua communi ablui, & benè poſtea exſiccari.

Bonum tamen opus eueniet, ſi antequam miſceas butyro antimonij. Soluto in ſpiritu nitri, ipſum aurum fuerit à ſua corporeitate redactum in ſpiritualem ſubſtantiam; ſic enim per minima cum antimonio miſcebitur; & repetitis diſtillationibus, & cohobationibus per idem menſtruum, hoc eſt cum eodem ſpiritu nitri ſupra hanc mixturam; deinde fortiori igne materia exſiccata, opus perfectius eueniet.

Aurum verò ſic ſpirituale redditur. Solue aurum in alchoole vini præſtantiſſimi, & ſeparatis cum ſpiritu vini fæcibus, extrahe tincturam auri: hæc ſolutio ponetur in pellicano, & ad calorem balnei per menſem digeritur: in-

terea

terea aurum ſpirituale ab ipſo ſpiritu vini ſponte ſua ſe ſeparat, inque fundo vaſis ſeorſim quieſcit; fluctuando deſuper ipſo ſolo menſtruo, ſeù ſpiritu vini, quo per inclinationem cautè ſeparato, calx auri aquis dulcibus aliquoties eluitur, & lentiſſimo calore exſiccatur. Tandem in phiola proportionata, & hermeticè ſigillata lento primùm calore athanoris, poſt acutiori figitur, donec in puluerem purpureum deſinat. Hic puluis in ſpiritu vini ſoluitur, & dantur tres, vel quatuor guttæ pro reparanda, & conſeruanda ſanitate. Sed in ordine ad lapidem, poteris debitam portionem huius liquoris, ſiue pulueris auri miſcere cum butyro antimonij in ſpiritu nitri ſoluto, & facere vt ſupra: vel cum puro, & perfecto mercurio illo ſimul vti, & operari, vt ex alibi dictis conſtat.

Fit antimonium fixum. Cum

ſola

ſola calcinatione antimonij cum ſale nitro illud fixatur: hæc autem calcinatio ter repetitur, ſemper cum ſale nitro; per has enim trinas calcinationes omnes partes ſulphureæ, & mercuriales pereunt, & relinquitur ſola pars terreſtris, quæ vim exſiccandi, & ſudorem promouendi habet. Aduerte autem non debere eſſe in hac elaboratione antimonij liquefactionem metallicam; ſed tantam, quanta eius opus eſt ad fluxum inſtar ſalis iniectæ mixturæ. Præterea nota, poſt quamlibet calcinationem, illud ſemper aqua calida dulci eluendum eſſe, & puluerem exſiccandum: ſed longè ſubtiliores fiunt pulueres, ſi poſt vltimam calcinationem, & aliqualem liquefactionem totum illud, quod remanſit, tritum coquatur in aqua fontana per aliquot horas, poſtea ita calens decoctum per filtrum tranſmittatur, & loco

frigido

frigido relinquatur; ſic enim per hanc ebullitionem id, quod eſt ſubtilius in aqua ſoluitur, & tandem præcipitatur in puluerem albicantem, & tenuem ſæpius eluendum, & exſiccandum. Poteris acetum diſtillatum in idem decoctum filtratum immittere, ſic enim puluis iſte facilius, & celerius cadet, maiorum virium, & virtutum. Iſte puluis maximè commendatur ad interiora apoſtemata curanda; eius enim grana quindecim propinantur, quinquies ſingulis diebus. Idem maximè præualet in lue venerea eodem modo, & doſi vſurpatus, poterit tamen pro lue venerea, & morbo gallico cum ſpiritu gaiaci exhiberi, mirabiliter enim totam ſubſtantiam ſanguinis renouat, & morbum gallicum funditus exſtirpat.

Aliud opus ex ſolo antimonij butyro rectificato. Butyrum anti-

monij fortificatur ſpiritu nitri terna diſtillatione, demùm calcinatur: & eſt magnarum virium. Aut ſic, ſemel fac butyrum antimonij; deinde ex ſcorijs reguli antimonij ſine marte facti, extrahe cum aceto diſtillato, vel cum ſpiritu vini tincturam, & in formam pulueris reducito, ac ſuper eumdem pulucrem butyrum antimonij denuò diſtilla; tunc ipſum butyrum rubicundiſſimi coloris fiet; & poſtea cum ſpiritu vini ſixetur; & erit magnarum virtutum.

Non defuerunt, qui toties diſtillabant aquam regiam ſemper recentem ſupra aurum, quouſque per retortam aurum tranſiret rubicundiſſimum: deinde aurum iſtud ſolutum cum aqua regis miſcebant cum ſolutione butyri antimonij, & ſeparato per retortam menſtruo, materiam ſub tegula calcinabant, & ſic in varijs morbis vtebantur.

Si

Si vis habere ſulphur, ſiue tincturam antimonij, poſt butyrum diſtillatum, accipe cinnabarim antimonij, & ebulliat per tres, vel quatuor horas cum lixiuio ſaponariorum facto ex cinere, & calce viua, ana, vt moris eſt, & lixiuium redditur rubicundum: argentum verò viuum in fundo vaſis fluit currens. Tinctum lixiuium per inclinationem ſeparatum edulcorandum eſt ſæpius aqua communi, poſtea lento calore exſiccandum: ſic habes tincturam bonam. Accipe poſtea huius, & reguli antimonij, ana, V. G. vnciam vnam, olei ſulphuris per campanam facti, vel olei vitrioli dracmas tres, digere per aliquot dies in retorta vitrea in loco calido; deinde diſtilla, ex arena ter cohobando; vrge poſtrema vice ignem quarti gradus per duodecim horas, & erit totum fixum in igne remanens. Cinnabaris autem

antimonij eſt id, quod poſt diſtillationem butyri antimonij remanet in fundo retortę, & calcinati debet, vt omnis humiditas ſeparetur.

Mercurius præcipitatus. Accipe mercurij benè purificati libram ſemis, cui affunde libram vnam olei ſulphuris per campanam facti, & rectificati; deinde compoſitum hoc per duos dies in arena digeratur; poſtea per retortam vitream paulatim, hoc eſt, lento igne diſtilla: hinc liquorem eggreſſum iterum affunde, & hoc tertiò reitera. Quarta vice poteſt adhuc ſemel aliquid de recenti oleo ſulphuris affundi, ponendo totum in noua, & optimè luto munita retorta, & circa finem aucto igne inter diſtillandum ita aſtrahi, vt retorta candeſcat; & ſic finita diſtillatione relinquitur mercurius in maſſam albam reductus. Poſtea fracta retorta circulo

culo ignito, vel filis ſulphureis exime
dictam maſſam, ac ſupra marmor tere, & aqua calida pluuiali diſtillata ſalſedinem diligenter ablue in vitro oris ampli agitetur probè, & per horas quatuor ſemper aqua prius ſubſideat, antequã effundatur: edulcorationem toties reitera, quouſque nullam ſalſedinem in affuſa aqua deprehendes, & mercurium remanentem videas verſum in puluerem flauiſſimum, quamuis flaueſcat etiam illicò, vbi aqua fuerit affuſa. Deinde puluerem prius exſiccatum impone phialæ longi colli bombice claudendi: vitrum poſtea ad ignem non ad modum vehementem, (alias rurſum flueret) pone, & ſic per octo dies digeratur, ſi fortè alquid de mercurio non ſatis præcipitato immixtum eſſet, illud enim ſic ſponte ſublimabit ſe in vitri collum, quod poſtea ferreo circulo candente, vel filis ſulphu-

reis franges, & ſuperiorem partem, in qua crudus mercurius affixus hæret, cautè, & leuiter auferes, maſſam verò in fundo reſtantem eximes, & ter ſpiritum vini deſuper incendes, & poſtea ad ſuos vſus repones; ità enim ſecurè datur intra corpus; & remedium eſt contra infirmitates cauſatas ex humorum putredine, & in morbis deſperatis, educit omnes vitioſos humores, & cerebri defluxiones; purificat ſanguines in venis, & medullam in oſſibus. Hydropem ſanat, podagram curat, exhibitus cum pillulis Ruffi, & oleo mellis radicitus expellit luem veneream, & eius vlcera reiterata doſi. In vlceribus malignis, & fætidis expurgandis commiſcetur vnguentis. Datur etiam in peſte cum pillulis peſtilentialibus Ruffi. In omnibus febribus continuis, & intermittentibus, addendo ſemper quatuor, vel quinque guttas olei vitrioli

trioli cum pillulis Ruſſi. Doſis autem eſt à granis tribus, quatuor, vel quinque ad ſex in corporibus præſertim robuſtis; offertur cum pillulis appropriatis. In doloribus capitis cum pillulis cochijs. In doloribus bracchiorum cum pillulis hermodactilis, vel miſcetur cum extractis purgantibus.

Aduertendum, quòd ſi quis voluerit eiuſmodi præcipitatum per amalgamationes, intra tres, vel quatuor menſes, & fortaſſe intra quadraginta dies bono igne adhibito, videbit pulchras, cupreſſi inſtar, in ipſo vitro creſcentias, ac ramunculos; & ſæpius maſſam eximendo, & terendo, & iterum coquendo, habebit ignis violentia materiam terream, poſtea per oleum ſulphuris, vt iam dictum eſt, in puluerem flauum præcipitandam, & figendam. Sed nota non debere mercurium eſſe omninò fixum, vt pro ſanandis morbis

exhibeatur; ſi enim eſſet omninò fixus vim ſuam purgandi amitteret, ratione enim cruditatis ſuas operationes perficit.

Optima mercurij purgatio. Fit mercurij purgatio, vel per lixiuium calcis viuæ, & cinerum clauellatorum; vel per lixiuium ſaponariorum; vel etiam per acetum diſtillatum, & ſal commune, ſæpius nimirum cum illis agitando mercurium, & viuiſſim à ſordibus eluendo. Omnibus tamen melior eſt, quæ fit per optimum ſpiritum vini affuſum ſupra mercurium ad ſupereminentiam duorum digitorum, agitando aliquandiù ſurſum, & deorſum ipſum vitrum: nam videbis omnem mercurialem nigredinem in ſpiritu vini, & ad latera vaſis ſeparari; tunc ſpiritum vini nigredine infectum decanta, & recentem ſuperfunde, & fac vt ſupra fortiter vitrum mouendo, & agitando, &

ſpiri-

ſpiritum nigrum decantando. Hanc verò ablutionem toties repete ſemper cum recente ſpiritu, donec omnis nigredo ablata fuerit. Spiritum autem vini per balneum diſtilla, & nigredo in fundo vaſis relinquetur: iſtum autem ſpiritum vini ijſdem operibus, vel etiam alijs ſeruabis.

Alia optima mercurij præcipitatio. Fiat aqua fortis ex nitri libris duabus, vitrioli libra vna, aluminis non calcinati vncijs ſex, ſalis communis vncijs ſex, miſce, diſtilla, & fac more ſolito aquam fortem: in ea ſolue de mercurio purificato, quantum ſoluere poteſt mercurio ſic ſoluto affunde aquæ fontanæ frigidæ vncias duas, vel tres, & relinque in loco tranquillo extra ignem per aliquot horas, vt mercurius ſua ſponte ad fundum præcipitetur: poſtea multum aquę frigidæ affunde, relinque ad ſubſidendum, aquam ſupernatantem

effunde, & aliam affunde, & relictam aliquandiù viciſſim deplue; idque tandiù fac, donec nulla acrimonia in mercurio pręcipitato animaduerti queat. Hunc exime, & in paruo matracio, vel parua boccia lati orificii, ac ſine alembico, leuiſſimo igne digere vſque ad ſiccitatem. Puluerem exſiccatum exime, & ad partem vnam huius præcipitati adde aceti diſtillati accerrimi partes quatuor, & pone in cucurbita probè obturata, & digere per diem vnum, atque alterum in balneo, tandem ſine diſtillatione aceti, eodem modo in parua boccia lati orificij exſicca, & exſiccatum reſerua. Doſis granum vnum ad quinque, vel ſex. Poteſt etiam infantibus exhiberi granum vnum, contra alui obſtructionem, ſi neceſſitas poſtulauerit.

Mercurius præcipitatus ſolaris magnarum virium. Accipe auri puri,

puri, & optimè purgati vnciam dimidiam; illud lapilla, ſiue in cruſculos tenues redige, & more ſolito ſolue in aqua regia, ex ſale communi, non verò ammoniaco, quia illud mercurium volatilem reddit: vitri antimonij vnciam ſemis: mercurij probè mundati vncias tres: in aqua forti ſolue, ſingula nempè ſeorſim, ac in ſeparatis vitris, ità tamen vt ſolutiones omnes probè ſint claræ, & tranſparentes. Omnes iſtas aquas confunde, & aquam abſtrahe per alembicum, & nouam aquam regiam affunde ſæpius, & identidem euoca, idque fac tantiſper, donec præcipitatus in ignita ferrea lamina penitùs nullum fumum de ſe emittat. Hoc ſigno habito, totum præcipitatum diligenter ſub tegula calcina, ſic nimirum ſpiritus aquæ regis omnes explodun-tur, & diſſipantur. Tandem ab

eodem ſpiritum vini ſexies diſtilla, donec quodammodo figatur mercurius. Denuò ſub tegula agitandus, & calcinandus eſt. Summum eſt remedium in morbo gallico. Hydropem curat: Caducis prodeſt: Colicam ſiſtit, quartanis medetur: Ictericis conuenit: Ecthicomeriæ, cancrum, fiſtulas, & alia vlcera curat: In peſte, & venenis opitulatur.

Vitrum autem antimonij fit. Accipe puluerem antimonij crudi, eumque diutius leui igne ad colorem cineritium calcina, precipuè menſe Ianuario, & Februario, & poſtea funde. Alij verò communiter faciunt vitrum antimonij per boracem, & antimonium crudum.

****

Fit

Fit aurum vitæ.

CAPVT XXX.

AQuæ fortis, ex vitriolo, nitro, & alumine anafa-ctæ vncias quatuor, ammoniaci vnam, miſce, & diſtilla ex alembico per arenam, vt fiat aqua regis. In huius vncijs duabus diſſolue auri finiſſimi vnciam mediam, & ſolutionem reſerua in calido. Deinde in aquæ fortis communis libra vna diſſolue mercurij crudi benè purgati vnciam vnam: ſolutionem poſtea vtramque tàm auri, quàm mercurij ſimul miſce, & illicò apparebunt omnia vigerrima; deinde ex arena per alembicum diſtilla lento igne, ſed gradatim aucto, donec, quæ in fundo ſunt, rubeſcant, & ſpiritus euaporaſſe videantur: tandem auge

ignem,

ignem, vt ſubtus cucurbita aliquandiù candeat. Poſtea materiam exime, & puluerem ſub cupula in catillo cum ferreo baculo miſce, calcina, donec ſpiritus aquæ fortis probè ſeparati fuerint. Tandem aqua dulci omnem ſalſedinem aufer: deinde ſupra puluerem ſpiritum vini affunde, & per cohobationem ſæpius ſpiritum à materia diſtilla, & tunc puluerem auri vitæ exſicca, & ſerua. Vſus eius egregius in peſte, & alijs morbis plurimis.

Præcipitatus luteus diaphoreticus. Accipe mercurij per ſalem communem, & vitriolum ſublimati quantum vis, & coque in aqua fontana, ebulliendo ad ignem lentum. Deinde in hanc ſolutionem claram, & puram, à fæcibus nempè reſtantibus per inclinationem, vel etiam per filtrum ſeparatam guttatim immitte

mitte de oleo tartari per deliquium facti ex ſale eius, quantum ſufficit, ac ſtatim præcipitabitur mercurius ad fundum inſtar pulueris lutei coloris. Deplue aquam per inclinationem, & puluerem aqua diſtillata, vel pluuiali, vel fontana aliquoties eluendo, edulcora, donec aqua, qua eluitur, nihil ſaporis acris retineat. Tandem puluerem ſedulo, & lento igne exſicca, & ſerua. Eius doſis eſt à granis quinque, vel ſex, ad ſeptem in theriaca, vel mitridato, aut horum alterutrius extracto, datur ieiuno ſtomacho bis in hebdomada. Virtus eſt, quòd mirificè ſoluat omnes obſtructiones, in primis vero icterum.

Aliter mercurius præcipitatur. Solue vnciam vnam mercurij viui, benè purgati in vncijs duabus aquæ fortis; ſolutioni adde aquæ communis calidæ vncias tres; ac infun-

infunde poſtea vrinam ſani hominis recentem in tanta quantitate, quantum ad deliquium ipſius mercurij requiritur: præcipitabitur mercurius incarnatus, qui aliquoties aqua eſt edulcorandus: ſolum per ſeceſſum mouet. Doſis à granis ſex ad decem.

Mercurius dulcis, qui & Draco mitigatus dicitur. Accipe mercurij ſublimati puri, & ſinceri vncias octo, & mercurij viui probè purgati vncias ſex; tere inuicē in mortario lapideo, cum piſtillo lapideo, vel ligneo, apponendo partē poſt partem de mercurio, donec in ſublimatum mercurius viuus abſumptus fuerit; deinde ſublima ex phiola ad medietatē tantùm plena in arena, donec totum in ſuperiorem phiolæ capacitatem aſcenderit, & hoc plerumque ſpatio octo, vel decem horarum fit. Fracto vitro, mercurium crudum hac prima diſtillatione ſimul pro-

deuntem cautè aufer; reſiduum verò denuò priori pacto ſublima, idque tertiò, aut quartò repete, ſine vlla additione rei extraneæ, & euadet ſublimatus inſtar cryſtalli perlucidus, ſine vlla acrimonia. Finitis ſublimationibus, maſſa denſior in puluerem ſubtilem redigitur, & aqua roſacea ſæpius eluitur. Doſis eius grana quindecim ad viginti, vel triginta in robuſtis cum extracto aliquo purgante, aut in pillulas conformatas. Omnes humores noxios ſine aliqua perturbatione expurgat. Dictum verò ſublimatum poteris in infinitum multiplicare, ſi, antequam aqua roſacea eluatur, iterum miſceatur cum mercurio crudo, vt ſupra, & ſublimetur: & ſic in infinitum. Poteris etiam multiplicare ſubimatum quantum tibi placuerit, ſequenti modo: Accipe mercurium purgatum, & præcipitatum, ac poſtea

ſtea benè lotum, & leuiter calcinatum, & à ſpiritibus aquæ fortis expurgatum, deinde miſce cum mercurio crudo modo ſupradicto, & ſublima, vt ſupra: iterum miſce cum alio mercurio crudo, & faciendo, vt ſupra; ſic poteris ad tuum libitum multiplicare.

Summum elixir vitæ. Pone aurum purum vulgariter per mercurium calcinatum in phiola, eique ſuperpone menſtruum perfectum, ſcilicet, optimum ſpiritum vini, vt tribus digitis ſuperemineat; phiolam verò hermeticè ſigillatam, pone ad calorem cinerum per integrum octiduum, & extrahitur tinctura auri inſtar ſanguinis rubea, quam denuó, relicto in fundo albicante auri corpore, in alia phiola hermeticè ſigillata coagula lento igne in atthanore in lapidem rubeum, quem ſuper lapidem porphyrium in loco frigido, & humido ſolue in

oleum,

oleum, quod denuò, reiectis fæcibus, coagula, & tertiò eamdem coagulationem repete. Eſt ſummum Elixir vitæ. Doſis eſt granum vnum cum extracto theriacæ, & puluere liquiritię, quantum ſufficit ſuperbibito hauſtu vini in quodlibet morbo, repetitis, ſi neceſſitas flagitat, doſibus. Corpus autem albicans auri in fundo remanens phiolæ, quod luna fixa nominari ſolet, priſtinum colorem recuperat; ſi per antimonium fundatur, vt Paracelſus docet.

Præcipitatus Diaphoreticus excellens.

CAPVT XXXI.

PRimò fiat optimus ſpiritus nitri: huius recipe libram vnam; ſalis gemmæ tenuiſſimè pulueriza ti tantundem; miſce, &

ex retorta cum ſuo recipienti coniuncta diſtilletur ex reuerberio clauſo aqua rubicundiſſima, quam ſerua. Deinde recipe cinnabarim natiuam vngaricam rubicundiſſimam, (quæ minera eſt mercurij, ſeù argenti viui,) probè à ſcorrijs montanis liberatam, quantum vis, eamque paulatim in aqua præcedenti ſolue; ſed cautè procede, vehementer enim incaleſcunt inuicem; quare particulatim minera inicienda eſt vſque ad eius totalem ſolutionem, quæ egregiè vireſcit, vnde ſatis magna quantitas menſtrui requiritur. Solutionem claram, & à ſulphure combuſtibili, quod vel ſupernatat ſolution, vel in fundo reſidet, per inclinationem decanta, & ex cucurbita in igne arenæ diſtilla. Prodit primo menſtruum, & quę principia ſunt ipſius mineræ in fundo manent, iam quidem propter hanc ſolutionem, & menſtrui

ſtrui ablationem diſcontinuata, ſed deinceps ſeparanda. Itaque poſtquam omne menſtruum ſeparatum fuerit, vrge ignem aliquantò fortius, & ad latera, ſeu ſpondilia cuccurbitæ eleuabitur mercurius ſublimatus albiſſimus, in fundo verò retortę ſulphur, & ſal dicti ſubiecti ſimul reſidebunt. Tunc detrunca cuccurbitam, & collige ſeorſim mercurium, ne cum cæteris principijs confundatur, & hæc ab illo ſeparata habere poſſis. Sublimatum verò cum aceto diſtillato in cucurbita, igne arenæ ebulliendo, ſolue; fęces remoue; acetum clarum, mercurium tamen in ſe continens, abſtrahe ad ſiccitatem: quod remanſerit, cum aqua pluuiali, vel rore maiali, iterum ebulliendo, ſolue, abiectis fæcibus aquam diſtilla, quę non parùm nigritans erit: idem cum recenti aqua pluuiali diſtillata viciſſim ebulliendo, ſol-

ue,

ue, & abiectis fęcibus diſtilla; idque etiam tertia, & quarta vice, repete; donec nimirum mercurius poſt quartam diſtillationem planè albiſſimus remaneat. Huic tandem affunde optimum ſpiritum vini, ſiue alcohol vini præſtans, & cum alembico cęco in balneo digere per aliquot ſeptimanas, vel etiam per integrum menſem.

Interea reliqua principia coque, quę in fundo cucurbitę, poſt ablatum mercurium, remanſere, ſepara, & clarifica, vt ſequitur. Super eandem infunde aquam pluuiam diſtillatam calidam; & ſtatim ſal ſoluendo ſe ſe in eandem aquam abit, ſulphur verò flaueſcens ſolum manet, quòd ſi aliquod ſalis adhuc eidem adhærebit, illud per aliquot repetitas elutiones aquę pluuię diſtillatę auferendum eſt, & priori ſalis extractioni miſcendum. Vtrumque

que autem deinceps eſt purificandum, quod vnicè quoque per ſpiritum vini eſt abſoluendum. A ſale igitur aufer aquam diſtillatam, cum qua nimirum ſalem extraxiſti, & eundem cum optimo ſpiritu vini ſolue, fæcibus remotis, olutio futura eſt ex viridi flaueſcens: aufer ſpiritum vini ad cuticulam ſupereminentem, & ſal ipſum inſtar vitrioli traſparentis in fundo coagulabitur, quod diligenter collige, & ſerua. Sulphur verò aliquoties cum aqua calida diſtillata prius lotum, & exſiccatum, ſimili modo cum ſpiritu vini aliquandiù digere, & eundem poſtea aufer. In promptu itaque hoc modo ſunt duo principia ſalis, & ſulphuris purificata; ſed ad eandem puritatem redigendus eſt mercurius. Poſtquam igitur ille fuerit per deſtinatum tempus cum ſpiritu vini digeſtus, & ſolutus, (rubeſcit

enim totum illud compoſitum eleganter) ex retorta in excipulum capaciſſimum igne arenæ lento, primò diſtila ſpiritum vini, poſtea vrge ignem, & prodibit ſpiritus mercurij, ſæpe hinc inde per totum recipiens extendendo, & ſublimando inſtar cryſtalli; relinque omnia poſt exactam diſtillationem, & poſt horas vigintiquatuor ſpiritus mercurij cryſtallizatus in ſpiritum vini primò diſtillatum, ſoluetur, qui denuò à ſpiritu vini ſeparandus eſt, diſtillando per balneum leue ipſum vini ſpiritum, nam ſpiritus vini aſcendet, & ſpiritum mercurij in fundo relinquet cineritij coloris, quem etiam ſerua.

Habitis his principijs; tandem ad illorum coniunctionem anaticam eſt deueniendum, quam hoc modo efficies. Primò fiat aqua coniunctiua ex eadem minera tali pacto. Solue mineræ argenti

viui

viui vngarici vncias ſex in aqua ſoluente, ex nitro, & ſale gemmę primo loco facta, ac ſequeſtratis fæcibus, reſolutionem ex balneo leui diſtilla ad craſſitiem vſque oleoſam: affunde recentem aquam ſoluentem, ac viciſſim ad oleagineitatem diſtillla; idque fac, & repete quinques, vel ſexies. Poſtea repone vas clauſum in balneo marię ad putrefaciendum per quatuordecim dies: tandem diſtilla lento igne arenę, donec quidquid aquæ ſuperfluum fuerit, ſeparetur: vbi ſpiritus albicantes prodierint muta recipiens, aliudque apponendo, & diligenter lutando, eos cape, cum aqua ſimul poſtea prodeunte; vrge diſtillationem vſque ad ignitionem vaſis, hanc verò aquam ſerua. In vncijs autem ſex huius aquæ ſolue ſalis ſuprafacti vncias duas, ac circula aliquandiù in balneo; poſtea ſuper vnciam mediam ſulphuris affuude

illius aquæ, in qua nempè ſal eſt ſolutum, & digeſtum, vnciam vnam, & dimidiam; ac viciſſim per balneum leue ſepara ad craſſitiem, denuò affunde eiuſdem aquę priorem quantitatem, ſcilicet, vnciam vnam cum dimidia, & diſtillando per balneum, euoca; atque ità perge, donec cum media vncia ſulphuris vna ſalis vncia integra fuerit copulata, id, quod ex pondere cognoſces, an ex ambobus factus ſit vnus viſcoſus quidam liquor. Harum vnciæ mediæ adde vncias duas ſpiritus mercurij ſupra præparati, & phiola hermeticè clauſa, coque in athanore, prudenter adhibitis ignis gradibus, donec omnia in puluerem rubicundum verſa fuerint, quód ſpatio trium, vel quatuor menſium fiet. Puluerem hoc modo præparatum, & tandem cum ſpiritu, ſiue alcohole vini correctum ſerua. Eſt medi-
cina

cina vniuerſalis, cuius granum vnum, vel ad ſummum duo in vehiculis conuenientibus in quolibet morbo exhibita, balſamum in ternum, ad expellendum intrò hoſpitatem hoſtem, vel per vomcitum, vel per aluum, vel per ſudorem, mirificè adiuuant.

Alcohol autem vini ſic fieri debet. Accipe vinum generoſum, quale eſt Hyſpanicum, vel Vngaricum, quòd aliquandiù, vel in fimo equino, vel in eius vicario balneo marię digere per quatuordecim dies. Poſtea per phiolam ſpiritum diſtilla, eundemque aliquoties per eandem phiolam rectifica, donec ad ſummam tenuitatem peruenerit. Huius libras duas miſce cum recentis vini libris ſex, & per phiolam denuò eandem quantitatem librarum nempè duarum, non plus, nec minus, diſtillando prolice; & ità deinde eandem quantitatem, ſcilicet,

duarum librarum cum recenti vino homogeneo ſepties,& octies, sẽper de nouo addita recentis vini quantitate,& toties diſtillatis libris duabus ſpiritus fortiſſimi. Hic verò ſpiritus eſt penetrantiſſimus, & ſubtiliſſimus, quare diligentiſſimè in vaſe hermeticè clauſo eſt aſſeruandus.

Aduerte, quòd ſi ſupradictum puluerem, qui dicitur medicina vniuerſalis, ſolueris cum optimò ſpiritu vini, eique miſcueris oleum ſiue animam auri, & ſeparato meuſtruo, decoxeris, & in puluerem fixaueris,& oleo ſolis inceraueris, facilè fixabit mercurium purgatum in aurum; aut cum illo mineram perpetuam inſtituere poteris.

In hoc autem capite multa poſui, vt filij artis ſciant etiam panaceas, hominum ſanitati inſeruientes, efficere; ac etiam, quia dictæ operationes multùm iuuant no-

noſtrum primarium intentum, vt ſcilicet, ſciant purgare mercurium, & antimonium; eaque coagulare; & ex illis menſtrua ſolutiua, & coniunctiua formare; quibus facilè philoſophorum lapidem, vel aliquod particulare facere poſſint.

Panaceæ autem vel fiunt cum mercurio, & auro; vel cum regulo antimonij, & auro, à quibus ſimul fuſis, & coctis, extrahitur cũ optimo ſpiritu tinctura aurea, quæ ad leuem calorem exſiccata dicitur Panacea aurea; vel tandem fit ex ſolo antimonio, coniungendo ſimul regulum antimonij cum ſulphure eiuſdem antimonij; quod ſulphur extrahitur (vt ſupra vidimus) ex cinnabari eiuſdem antimonij, & ſimul coquuntur, &c.

sssssss
ssss

Quomodo fiant diuerſæ conuerſiones tàm lunæ, quàm mercurij in aurum perfectum.

CAPVT XXXII.

Modus primus.

ACcipe de quolibet ex infraſcriptis ingredientibus vnciam vnam, ſcilicet, vitrioli romani rubificati; viridis æris, ſeù florum viridis æris; quomodo autem dicti flores fiant, infra dicetur; ſcoriarum perfecti antimonij vngarici; crocci martis cum ſulphure facti; crocci veneris cum ſulphure facti, æris vſti, Ferretti hiſpanici; optimi auri per mercurium calcinati, & benè apertis & marcheſitæ rubræ, vel flauæ optimè calcinatæ; ſi tamen illam habere non poteris, poteris cum alijs ingredientibus operari, vel

loco

loco illius poteris accipere ematithitem non falſificatum calcinatum. Piſta optimè omnia, eaque poſtea miſce, & pone in vrinali vitreo, ac ſuperpone ſpiritum vini ter ad minus diſtillatum, ac perfectè dephlegmatum, & cum ſpiritu ſalis communis, aut ſalis nitri fortificatum, vt materię ſuperemineat ſex digitis tranſuerſis: deinde benè orificium vitri obtura, quod, vt facilius obturari poſſit, erit ſatis anguſtum. Poſtea vitrum pone ſupra cineres calidos ad minus per duos dies, & quouſque dictum menſtruum ſit benè tinctum, & coloratum, ac tunc illud ſuauiter decanta, & conſerua in vitro benè clauſo, ac in loco temperatè calido; ſupra materiam verò, quę remanſit, appone aliud menſtruum, vt ſupra, & poſtquam coloratum erit, illud decanta, & cum alio decantato conſerua; ſic autem eodem modo continuabis,

quouſque menſtruum amplius non coloretur. Tunc accipe omne decantatum, ac ſimul cum menſtruo per collum retortum diſtilla, ſemper reponendo diſtillatum ſupra non diſtillatum; ſic enim melius extractiones ſubtiliabuntur.

Deinde per alembicum leui igne duas partes menſtrui diſtilla (quas in vitro benè clauſo ſerua, alijs enim vicibus inſeruire poterit) tertiam verò partem non diſtillatam pone in vitro apto; vitrum autem non totaliter coopertum collocabis in loco frigido, & humido, ad lapillandum, ſiuè chriſtallizandum; quod eueniet intra paucos dies. Formatis chriſtallis cautè menſtruum decanta, & accipe chriſtalla, quæ vt plurimum ſpondilibus vaſis adhærere ſolent, atque in vitro clauſo, & in loco frigido conſerua, à reliquo verò, quod decantaſti, iterum per alembicum

bicum diſtilla aliquam partem menſtrui, & quod non eſt diſtillatum denuò pone in loco frigido, & humido ad chriſtallizandum, iterum autem accipies chriſtalla, & cum alijs reponentur, ità verò modo ſupradicto continuabis, quouſque nihil amplius chriſtallizatur.

Poſtea accipe omnia chriſtalla, eaque piſta in mortario vitreo cum piſtillo vitreo, ac deinde illa pone in capaci, & longi colli boccia, quam hermeticè ſigillatam collocabis in balneo mariæ, vel in fimo equino per decem dies, vel quouſque omnia chriſtalla in oleum verſa ſint. Hoc oleum poſtea bis, vel ter diſtillabis per collum retortum, aut per retortam humilem, & inclinatam.

Tandem hoc oleum pone in parua boccia, hermeticè ſigilla, & ad leuem ignem ſupra cineres, ſiue ad lumen lucernę oleum exſicca,

ità quod in terram rubram reducatur. Tunc veró accipe vnciam vnam dictæ terræ rubræ, & mercurij non falſificati, ac optimè loti, & purgati vncias duodecim, & benè in mortario vitreo miſce ſimul per duas horas contundendo. Hanc materiam poſtea in parua boccia pone, quam benè obtura, & ad lumen lucernæ ſupra cineres decoque vſque ad perfectam mercurij fixitatem, & optimum aurum euadet.

Poſſes autem in principio cum alijs ingredientibus aurum non apponere, ac ſine illo omnia ſupradicta facere vſque ad reductionem olei in terram; ſed tunc deberes illam materiam piſtatam oleo auri incerare: ſic enim plures vncias mercurij modo ſupradicto in optimum aurum fixaret; immó ſi taliter incerares, ità quod facilè tamquàm cera flueret, poſſes ſupra mercurium calentem proiectio-

nem

nem facere. Similiter ſi in dicto oleo facto, ſine auro, poneres vnciam vnam olei auri, & deinde huius olei ſic mixti (quin in terram per decoctionem vertatur) poneres vnciam vnam cum vncijs triginta mercurij benè purgati, & bocciam per girum verteres, vt perfectè oleum cum mercurio miſceretur; & poſtea vt ſupra, decoquendo fixares, profectò melius dictum oleum operaretur, cum eſſet magis per minima cum mercurio mixtum.

Aliter etiam procedere poſſes, nempè, in dicto oleo facto ſine auro ſolue per partes ad leuem calorem vnciam vnam auri vulgariter calcinati, & benè aperti; deinde, vt ſupra, oleum per decoctionem in terram vertere.

Modus ſecundus.

Accipe vitrioli Romani rubificati libram vnam: viridis æris, libram

ram vnam: antimonij crudi, & ptimi, libram mediam. Hæc omnia benè ſeparatim piſta, & poſtea optimè miſce, ſimul adhuc contundendo. Deinde habeas mediam libram croci veneris, & alteram mediam libram croci martis, & omnia ſimul in vrinale vitreum, forte, & bene lutatum reponito, eiſque vnam & mediam circiter menſuram ſpiritus vini ſummè rectificati ſuperfundito; capellum imponito, & largum ei recipiens coniungito; juncturas veró optimè bitumine, vel cum paſſa facta ex albumine ouorum, charta bibula, & flore farinæ ſigillabis. Per cineres poſtea, lento igne, diſtilla, nullatenus tamen ad ſiccitatem vſque; ſed quoad materia velut muſtarda ſpiſſa remaneat: vitro deinde ex ſe frigefacto, eundem diſtillatum ſpiritum vini denuó ſupra materiam reſtantem affundito, nouiterque vti antea diſtil-

diſtilla, ità vt hoc ipſum tertiò repetatur. Tandem quarta vice memoratum, ac ter diſtillatum ſpiritum ſuper materiam affundes, & omnia per gyrum commouendo vas benè ſimul miſcebis: hinc autem, vitro benè obſerato, ſinito per ſpatium duodecim, aut viginti quatuor horarum quieſcere; & vſque dum fæces reſederint. Tunc autem ſpiritum vini coloratum ſeparabis, eum leuiter in alium alembicum decantando, aut etiam per chartam bibulam filtrando. Hoc peracto pone totum decantatum rurſus ad lentè diſtillandum, diſtillabis autem ſolummodo illius duas tertias partes, (caue tamen ne vnquam bulliat) quatenus vitriolum cum reliquis extractis ſalibus mediante frigore, in cryſtallum degenerari queat: quam cryſtallum poſtea per retortam benè lutatam diſtillabis, dando in principio

cipio ignem leuem, ac tandem fortiſſimum, vt omnia ignoſcant, ac oleum rubrum diſtilletur;quod benè obturatum in loco tepido conſeruabis.

Deinde recipe ſolem finum, eumq; calcina cum illis duabus partibus ſpiritus vini, quas ſuperius diſtillaſti, & toties dictum ſpiritum vini diſtillando, & redistillando ſupra aurum, quouſque videas aurum ſe diſſoluere, vel dictum aurum calcina per fumum ſaturni; aut aliquo alio modo, vt alibi diximus, ita quod aurum ſit benè calcinatum, & apertum.

Poſtea ſuper talem volatilem calcem ſolis affunde præfatum oleum rubrum intra violam fortem, in pondere proportionato, videlicet, ſuper mediam vnciam ſolis calcinati vnciam vnam cum dimidia de oleo rubro; Violamque ſigilla hermeticè; eamque deinde intra vas terreum cineribus plenum

num reconde, ac primò ignem lentum ſubde, vt omnia ſimul putrefiant, ſimulq; ſoluantur, ac tandem, parùm igne aucto, decoctionem continua, quouſque materia ad perfectam ſiccitatem deueniat, quod euenire ſolet intrà triginta, aut quadraginta dies: tunc autem violam frange, materiam extrahe, eamque ſuper mormore polito in tenuiſſimum puluerem contere, & in vitro benè clauſo, ac in loco nec frigido, nec humido ſerua. De hoc veró puluere proijce partem vnam ſupra decem partes lunæ liquefactæ, & illa in finiſſimum transformabitur ſolem, qui melior, & purior erit omni ſole naturali.

Aduerte primò, quod ſi hunc ſolem medicinatum denuò ſolueris, & coagulaueris, vt antea feciſti, tunc hac ſecunda vice vna eius pars tinget triginta partes lunæ fluidæ; & quò pluries hoc repe-

petieris, tanto amplius tinget. Dictæ autem reiterationes ſient, calcinando aurum medicinatum, deinde ſuper vnam illius partem apponendo tres partes olei rubri, ac cætera, vt ſupra faciendo.

Aduerte ſecundò. Quod poſtquam, vt ſupra diximus, ſpiritum vini decantaſti, fortaſſe remanebunt fæces, habentes adhuc tincturam extrahendam, quam extrahere poteris modo ſupra dicto, vel cum illis duabus partibus ſpirtitus vini, quas ſuperius diſtillaſti; vel cum alio ſpiritu vini, & deinde, vt ſupra in oleum rubrum reducere, & diſtillare.

Aduerte tertiò: illam tertiam partem poteris ponere in loco frigido, & humido ad cryſtallizandum, & colligere cryſtalla; & hoc toties reiterare, quouſque non det amplius cryſtalla: poſtea ipſa cryſtalla pones in loco apto, vt in oleo vertantur; quod oleum deinde,

de, ſemel, aut bis per humilem retortam diſtillabis.

Aduerte quartò, quòd non ſolum ſupra argentum poteris dicta medicina vti, ſed etiam ſupra mercurium purgatum: vel miſcendo de dicto oleo rubro (in quo tamen ſit iam aurum ſolutum) partem vnam cum decem partibus mercurij; & benè commouendo vitrum, vt omnia benè miſceantur. Hinc autem vitrum benè ſigillatum pones ſupra cineres, vt omnia ſimul congellentur, & perfecte fixentur; quod ſolet euenire intra quadraginta dies; in principio tamen dabis leuiſſimum ignem, ne mercurius ab oleo ſeparetur, vel poteris cum dictis pulueribus, non facere proiectionem ſupra lunam fuſam, ſed illorum partem vnam miſcere cum decem partibus argenti viui purgati, & in mortario vitreo benè ſimul cum piſſillo vitreo contundere

tundendo, vt perfecta fiat mixtio; & poſtea ſimul decoquere, & fixare, dando ignem leuem in principio, ne mercurius ſublimetur: Vel poteris cum parte vna dicti pulueris, & partibus quatuor mercurij facere vnum malgama, & ſimul inde decoquere, vt ſupra, & fixare. Si verò poſt exſiccationem ſolueris materiam cum optimo menſtruo vegetabili, aut animali, & facta ſolutione, ſeparares leui diſtillatione menſtruum, ac deinde materiam decoquendo fixares, & fixatam oleo ſolis incerares, profectó optimam medicinam haberes: ſed in principio contentus ſis operari, vt diximus, quod tibi cum magno lucro eueniet: poſtea verò poteris ad hunc ſubtiliorem modum operãdi progredi.

Aduerte quintò, poſtquam fixaſti decem illas partes mercurij, experiri poteris an mercurius iam

fixa-

fixatus ſit adhuc medicina ad alium mercurium fixandum: experientia enim plura te docebit.

Modus tertius.

Accipe lamellas martis purificatas, eas ſcinde in minutiſſimas partes, & ſolue in aqua forti: poſtea per diſtillationem aquam fortem extrahe, vel euapora: calcem martis, quæ in fundo remanſit, calcina cum ſulphure puluerizato, miſcendo ſimul ambas pulueres; calcinabis autem in forti pilla terrea, & ad carbonum ignem, ac vſquequo totum ſulphur conſumatum ſit; & habebis puluerem rubicũdiſſimum, quem ſepties, vel octies cum tantumdem ſalis armoniaci, puluerizati miſce, & ſublima; quem poſtea pones ad ſoluendum in fimo equino, vel ſupra marmor in loco frigido, & humido; aut ſi eſſet æſtas, in conſeruatorio niuis, & conuer-

tetur

tundendo, vt perfecta fiat mixtio; & poſtea ſimul decoquere, & fixare, dando ignem leuem in principio, ne mercurius ſublimetur: Vel poteris cum parte vna dicti pulueris, & partibus quatuor mercurij facere vnum malgama, & ſimul inde decoquere, vt ſupra; & fixare. Si verò poſt exſiccationem ſolueris materiam cum optimo menſtruo vegetabili, aut animali, & facta ſolutione, ſeparares leui diſtillatione menſtruum, ac deinde materiam decoquendo fixares, & fixatam oleo ſolis incerares, profectò optimam medicinam haberes: ſed in principio contentus ſis operari, vt diximus, quod tibi cum magno lucro eueniet: poſtea verò poteris ad hunc ſubtiliorem modum operādi progredi.

Aduerte quintò, poſtquam fixaſti decem illas partes mercurij, experiri poteris an mercurius iam

fixa-

fixatus ſit adhuc medicina ad alium mercurium fixandum: experientia enim plura te docebit.

Modus tertius.

Accipe lamellas martis purificatas, eas ſcinde in minutiſſimas partes, & ſolue in aqua forti: poſtea per diſtillationem aquam fortem extrahe, vel euapora: calcem martis, quæ in fundo remanſit, calcina cum ſulphure puluerizato, miſcendo ſimul ambas pulueres; calcinabis autem in forti pilla terrea, & ad carbonum ignem, ac vſquequo totum ſulphur conſumatum ſit; & habebis puluerem rubicūdiſſimum, quem ſepties, vel octies cum tantumdem ſalis armoniaci, puluerizati miſce, & ſublima; quem poſtea pones ad ſoluendum in fimo equino, vel ſupra marmor in loco frigido, & humido; aut ſi eſſet æſtas, in conſeruatorio niuis, & conuertetur

tetur in oleum, quod in vaſe benè clauſo conſerua.

Pariter accipe ſubtiles veneris lamellas, eaſque cimenta cum ſulphure puluerizato, faciendo ſtratum ſupra ſtratum: cimentabis autem in vaſe diſcooperto, & vſque ad totius ſulphuris conſumationem, & habebis lamellas veneris frangibiles, quas ſubtiliſſimè macina, & cum tantumdem ſalis armoniaci puluerizati miſce, & toties, vt ſupra, ſublima: deinde in fimo, vel vt ſupra in loco frigido, & humido, vt in oleum conuertatur: quod in vitro benè clauſo ſeparatim conſeruabis.

Similiter accipe vitriolum romanum, illudque ſolue in vrina puerorum deſpumata: deinde filtra; & ad ſufficientem calorem congela in vrinali; & remanebit vt fex nigra: tunc illam calcina ad ignem reuerberi, quouſque rubra euadat: quam poſtea octies ſubli-

ma

ma eum tantumdem ſalis armoniaci: deinde fac vt vertatur in oleum, vt ſupra; quod in vitro benè clauſo conſerua.

Deinde facies ſequentem aquã fortem: recipe vitrioli, & ſalis nitri, ana, librã vnam; cinaprij vncias quattuor, vel ſex; aluminis plumæ vncias tres; & diſtila vt moris eſt. In hac verò aqua forti ſolue tantum de mercurio purgato, quantum ſoluere poteſt; poſtea diſtilla aquam fortem, quam iterum pones ſupra mercurium, à quo illam diſtillaſti, ac iterum diſtilla: hoc autem diſtillare, & rediſtillare eamdem aquam ſupra eumdem mercurium toties repete, quouſque bene rubeus, & fixus euadat. Hinc poſtea ex retorta extrahe, ac ſubtiliſſimè macina, & pone in parua boccia, & ſupra illum efunde æqualem portionem ad pondus illius de oleo ſulphuris, diſtillando illud, & re-

diſti-

diſtillando ſupra eumdem mercurium tribus, aut quatuor vicibus. Tunc ex boccia illum extrahe, piſta, & pone in fimo equino, vt in oleum vertatur; quod oleum pariter ſeparatim, vt ſupra, conſerua.

Tandem facienda eſt ſequens aqua fortis ex libra vna vitrioli romani, ex vncijs nouem ſalis nitri, ex vncijs tribus cinnabaris, & ex vncia vna ſalis armoniaci: in tribus autem vncijs dictæ aquæ fortis ſolues vnciam vnam finiſſimi auri, & quando erit ſolutum, adde ex quolibet de ſupradictis oleis vnciam vnam. Deinde ſic permitte quieſcere in putrefactione ſeptem naturalibus diebus; quibus elapſis, cum magna diligentia aquam decanta, & remanebunt lapilli, ſeu cryſtalla, quæ pones in vitro clauſo per decem dies in fimo equino, & conuertentur in oleum; quod oleum in

parua

parua boccia poſitum, & boccia hermeticè ſigillata ad ſuauem calorem, ſiue ad calorem lucernæ congellabis, & erit medicina fuſibilis, penetrans, ac tingens, & vna illius pars cadet ſupra triginta partes lunæ finę, & in aurum perfectiſſimum conuertet. Quo autem pluries dictam medicinam ſoluet in ſimo, & ad leuem calorem congelabit, ſemper magis creſcet in virtute, & ſupra pluries partes cadet. Poſſet etiam vti hac medicina, & fortaſſe melius erit, contundendo ſimul partem vnam dictæ medicinæ cum partibus triginta mercurij optimè purgati, & poſtea vſque ad fixationem leui calore decoquendo.

Si tamen dictum oleum factum ex lapillis, ſeu cryſtallis, bis, vel ter per collum retortum diſtillares, & decoquendo coagulares altioris virtutis eſſet: nam quo plùs medicina ſubtiliatur, eò fortius operatur.

Vt

Vt vero pro ſupradicta medicina præparetur, ſeu fixetur luna, ſic procedes. Accipe lunæ cupellatę ſubtiles lemellas, eaſque ter cimenta cum limatura ferri, ſingulis vicibus per duodecim horas, ſemper limaturam ferri renouando; Deinde dictas laminas cimenta alijs tribus vicibus cum ſale minerali pręparato, ſiue decrepitato: poſtea per horas duodecim illas cimenta in cimento reali ad ignem reuerberi, vt in alijs cimentis fieri ſolet; & ſi in hoc cimento nihil de illo diminuitur, erit perfectè fixa; ſed ſi minuetur, reiterandæ erunt ſupradictæ cimentationes, vſquequo cimentum reale ſuſtineat, & in eo non minuatur.

Facilius autem erit ſic operari: Accipe omnia ſupradicta ingredientia vt ſupra præparata, etiam aurum vulgariter calcinatum, & benè apertum, nec illa cum ſale

ar-

armoniaco ſublimabis; ſed ſimul optimè macina, imbibe aqua ſalis armoniaci, prout dicetur in modo ſexto; Ex deinde pones in fimo, vitro benè clauſo, per triginta dies, & vertetur in aquam, ſiue oleum, hinc pone ad cryſtallizandum, ex cryſtallis fac oleum, & reliqua, vt ſupra.

Ad euitandas verò tot manipulationes, & ſublimationes, & quin ſale armoniaco vtaris, operari poteris, vt ſequitur. Fac infraſcriptum menſtruum, quod facilimè quodcumque metallum calcinatum in oleum reducet. Accipe ſalis communis decrepitati, ac illud in ſubtiliſſimum puluerem macina: huius autem ſalis pulierizati accipe libram vnam, eamque miſce cum tribus libris optimi ſpiritus vini, & ſic permitte quieſcere ſeptem diebus: poſtea ad balneum mariæ diſtilla; & diſtillatum conſerua in vitro opti-

mè clauſo; eſt enim menſtruum reducens, & ſoluens in aquam, ſiue oleum quodcumque metallum, prius tamen vulgariter calcinatum. Reductionem autem in oleum ſic facies. Accipe corpus illud, quod vis ſoluere, illudque calcina, & parti vnæ illius ſuperpone tres partes dicti menſtrui, & vaſe optimè ſigillato ad temperatum calorem digere per octo, aut decem horas, & conuertetur in oleum, aut toties diſtilla, & rediſtilla dictum menſtruum ſuper metallum calcinatum, ſemper diſtillatum reponendo ſupra non diſtillatum, quouſque metallum in oleum conuertatur. Sunt verò alia menſtrua, quibus metalla faciliter in oleum reducuntur, vt infra dicetur: ſic igitur poteris magna cum facilitate ſoluere omnia ſupradicta metalla, & ea mixta ponere ad lapillandum, ſiue cryſtallizan-

dum

dum: Deinde cryſtalla in fimo in oleum ſoluere, & oleum decoquere, & facere omnia, vt ſupra dictum eſt. Aduerte quod melius erit iſtis medicinis vti ad fixandum mercurium eo modo, quem ſupra in primo modo docuimus, quàm ad lunam tranſmutandam.

Si nolueris cryſtalla efformare, poteris ſupradicta olea mixta, & ſimul cum menſtruo ſepties per retortam humilem, ſeù per collum retortum diſtillare, vt benè hoc oleum ſubtilietur. Deindè leui diſtillatione per alembicum menſtruum diſtillare, ac tandem oleum decoquere, & facere omnia ſuperius dicta.

Modus quartus.

Accipe vnciam vnam ex cryſtalis factis ex crocco martis; & vnciam vnam ex cryſtallis factis

ex crocco veneris;& vnciam vnam ex cryſtallis factis ex vitriolo rubificato; & vnciam vnam cryſtallorum auri: macina ſimul, & pone in alembico, ſeù vrinali, ac eis ſuperpone optimum ſpiritum vini fortificatum cum ſpiritu ſalis, vt ſupra diximus,aut cũ ſpiritu ſalis nitri; ita quod ſint partes tres huius menſtrui, & pars vna pulueris cryſtallorum; & ſic digere per aliquot horas. Deinde diſtilla menſtruum, & repone ſupra materiam, ac iterum rediſtilla, & has cohobationes, ſeù diſtillationes, & rediſtillationes toties repete, quouſque materia in oleum vertatur. Hoc verò oleum ſimul cum menſtruo aliquoties per collum retortum diſtilletur, & ſubtilietur: Poſtea leui diſtillatione ſeparato menſtruo, in vitro hermeticè clauſo ſupra cineres calidos in terram decoque, & fixa: faciet bonam proiectionem ſupra lu-

nam;

nam: poteris etiam cum hac medicina mercurium lotum fixare.

Aliqui tamen adduat ſupradictis cryſtallis vncias duas cryſtallorum mercurij, vt ſupra rubificati, & indurati; & deinde apponunt menſtruum, & reliqua vt ſupra proſequuntur.

Modus quintus.

Solue aurum optimè purgatum in aqua forti ſibi proportionata, pariter martem, & venerem ſimiliter in aquis fortibus ipſis proportionatis, & ad illa ſoluenda aptis. Hinc omnia, ſed ſeparatim pone ad cryſtallizandum in loco frigido, & humido: poſtea lapillos, ſiue cryſtalla collige, & conſerua. Deinde ab aqua forti remanente aliquam partem diſtilla, ac iterum non diſtillatam, pone ad cryſtallizandum; ſic autem continua, quouſque cryſtalla

amplius non fiant. Hoc peracto, omnia cryſtalla ſeparatim contunde, aqua calida bis, vel ter ablue, & exſicca: poſtea ſeparatim pone dicta cryſtalla in optimo ſpiritu vini fortificato cum æquali portione aquæ fortis ſingulis metallis proportionata; & vitro benè ſigillato ad leuem cinerum calorem ſolue: deinde pone ad cryſtallizandum, modo, & ordine vt ſupra: poſtea cryſtalla contunde, & vt ſupra ablue, & exſicca. Hoc autem ſoluere, & cum ſpiritu aquæ vitæ aqua forti fortificato, & poſtea cryſtallizando, ad minus ter eſt repetendum; & quò pluries repetes, eò melius erit. Aliqui tamen non acuunt ſpiritum vini cum aqua forti, ſed cum ſale communi, vt ſupra diximus, & cum illo has trinas ſolutiones, & cryſtallizationes faciunt. Dictis autem cryſtallis addenda ſunt cryſtalla vitrioli romani

mani facta, vt infra dicetur. Aliqui vlterius addunt mercurij cryſtalla, facta, vt fiunt alia metallorum cryſtallo. Tandem accipe ex omnibus cryſtallis partes ęquales, & ſimul contunde, & macina cum ęquali oleo tartari facto per deliquium; Hoc autem macinare cum æquali oleo tartari ter repetes, qualibet vice exſiccando: Deinde pone ſupra marmor in loco frigido, & humido, & in oleum vertentur. Hoc autem oleum poſtea ad leuem calorem decoquendum eſt, vt ſupra diximus.

Aliqui poſt trinam ſolutionem, & cryſtallizationem factam cum ſpiritu vini fortificato cum aqua forti, iterum ſoluunt, & cryſtallizant cum ſpiritu vini cum ſale communi fortificato, vt ſupra diximus: deinde ſoluunt hæc cryſtalla in fimo equino, vt abeant in oleum: quod oleum poſtea in terram decoquunt, vt ſupra vidimus.

Cryſtalla autem vitrioli fiunt, vt ſequitur. Accipe vitrioli romani rubificati ad tuum libitum, & pulu erizati. Illud ſolue cum aqua communi calida, vel quod melius erit, cum aceto diſtillato, & filtra: Deinde fac bullire filtratum vſque ad quartę partis diminutionem: poſtea ſine quieſcere, vel pone in loco frigido, & humido, & vitriolum cryſtallizabitur, & conuertetur in lapillos. Si autem totam aquam; ſiue totum acetum euaporares, maneret in fundo vaſis ſal vitrioli prætioſum.

Modus ſextus.

Accipe auri finiſſimi pulerizati, hoc eſt, per mercurium calcinati, vnciam vnam; crocci martis vnciam vnam; æris combuſti, vnciam vnam; vitrioli romani rubificati, vnciam vnam; ſalis armoniaci in aquam conuerſi ad pondus dictorum ingredientium:

maci-

macina optimè omnia ſiuml ſupra porfidum imbibendo cum dicta aqua ſalis armoniaci; hoc autem macinare, & imbibere tandiu continua, quouſque materia totam dictam aquam ebiberit, ac ſecum vnierit. Deinde pone omnia in vitro benè clauſo in fimo equino per triginta dies, & diſoluetur in aquam, ſiue oleum: hanc verò aquam, ſiue oleum hoc congela in vitro clauſo ſupra cineres leuiter calidos: Poſtea materiam hanc congelatam denuo in fimo ſolue, & ſolutum ſupra cineres congela; hoc autem ſoluere, & congelare ad minus quater, vel quinquies reiterabis. Pars autem vna huius medicinæ tinget quinque, aut ſex partes lunæ finæ in finiſſimum aurum. Porrò medicina hęc iterum ſoluta in fimo per triginta dies, & poſteà congelata tinget partes decem lunæ: tertia vice ſoluta, &

congelata, tinget partes quindecim: quarta verò tinget partes viginti: quinta vice partes quadraginta; & ſic ſemper ſoluendo, & congelando potentia, ac virtus ipſius augebitur.

Aqua verò ſalis armoniaci fit, vt ſequitur. Accipe ſal armoniacum, illud in puluerem impalpabilem reducito: illud deinde pone in olla non vitriata, quam benè coopertam pone in furno panis per noctem ad calorem: tranſacto illo temporis ſpatio, depone illam ex furno, & ſal in puluerem impalpabilem piſta: hunc puluerem pone in boccia longi colli, & hermeticè, vel ſaltem benè ſigillata: bocciam verò pone in fimo per triginta dies, & ſal in aquam verſum erit; quam aquam filtra per telam lineam, & in vitro clauſo conſerua.

Melius eſſet cum hac medicina benè cum mercurio per longam

con-

contritionem incorporata, mercurium fixare in aurum, leui calore ſimul decoquendo.

Modus ſeptimus.

Accipe auri per mercurium calcinati vnciam vnam; æris vſti rubificati vnciam vnā; crocci ferri rubificati vnciam vnam, vitrioli romani rubificati vnciam vnam; ſalis armoniaci rubificati, & ſoluti quantum de omnibus: teruntur omnia ſupradicta cum aqua armoniaci, vt ſupradictum eſt, fortiter ſuper marmor: poſtea omnia pone in boccia vitrea longi colli, ac optimè clauſa, eamque pone intra fimum ad minus per vigintiduos dies ad diſſoluendum, mutando fimum de quinque in quinque dies, vt moris eſt. Facta ſolutione pone dictam aquam in boccia rotunda fortiter obturata, cuius ventris ſolummodo tertia pars ſit dicto oleo plena;

ſuper cineres autem ad lentum ignem aquam congelabis; cuius pars vna conuertet partes decem lunæ in verum aurum. Si tamen reiterabis ſolutiones, & congelationes creſcet in virtute; ſemperque plus de luna in aurum traſmutabit; ac etiam mercurium in aurum traſmutabit, vt ſupra dictum eſt.

Æs pro ſupradicto opere comburitur, & præparatur. Accipe laminas æris quantumuis, & fac ex illis parua fruſtula, & cimenta in vaſe terreo, & forti cum ſulphure puluerizato; quouſque ſulphur ſit conſumptum: poſtea in mortario cupreo benè puluerizẽtur, deinde cum aqua calida abluantur, donec aqua exeat clara, & tunc ad ignem lentum, vel ad ſolem deſſiccentur. Poſtea dicti pulueres ponantur in crucibulo cooperto, & lutato, & ad ignem carbonum per ſex horas, & poſtea

ſtea ſine infrigidari, & erit rubificatum, & præparatum. Hic obiter nota ſi eſtinguas iſtud æs vſtum, ſed prius ignitum pluries in oleo oliuarum deueniet ad colorem auri: in quo oleo ſi pluries extinguas plumbum ſolutum, tamquam aurum tingetur; quo poteris vti ad plura ornamenta fabricanda.

Croccus autem ferri ita fit, miſcendo limaturam ferri cum ana ſulphuris puluerizati, & ſimul comburrendo vſque ad ſulphuris conſumationem; & ſi opus fuerit iterum idem cum nouo ſulphure repetendo. Vel etiam ſequenti modo fieri poteſt, diſſoluendo limaturam ferri in aqua forti, facta ex vitriolo, ſalenitro, & alumine omnium ana, libram, ſcilicet vnam; & ſi vis poteris addere cinnabaris vncias ſex: facta verò ſolutione, iterum cum alembico diſtilla aquam, & in fundo

croccus martis remanebit, quem aqua calida optimè, ſeu pluries ablue, & exſicca.

Sal autem armoniacum rubificatur, immò etiam fixatur, illud pulueri zatum miſcendo cum crocco ferri, & ab eo aliquoties ſublimando. Quia verò in iſtis medicinis multi vtuntur ſalenitro fixo; ſciendum eſt ſalnitrum à multis fixari, ponendo illud tritum ſupra plumbum fuſum, & quando eſt fuſum, & ſupra illud congelatum, dicunt eſſe fixum, cum tamen vera illius fixio non ſit: verum enim ſal nitrum fixum eſt, à ſale nitro raffinato diſtillare ipſius ſpiritum; deinde accipere illius caput mortuum, illudque ter ſoluere cum aqua pluuiali, & qualibet vice per telam lineam filtrare, & ſiccare: iſtud enim eſt ſal nitrum perfectè, & philoſophicè fixum.

Aduerte ſi per acta prima ſo-

lutione, & decoctione, reliquas ſolutiones facies cum ſpiritu vini fortificato cum ſale communi, vel cum ſale vrinæ, melius erit, & medicina ſubtilior, & operoſior eueniet.

Nota: Facta prima ſolutione cum ſale armoniaco, poteris ponere ſolutionem in loco frigido, & humido ad cryſtallizandum; deinde cryſtalla denuò ſoluere cum ſpiritu vini ſale communi, vel ſale vrinę fortificato; poſtea iterum cryſtallizare; tandem cryſtalla ſoluere cum ſolo ſpiritu vini abſque ſalis additione; poſtea iſta cryſtalla in fimo equino vertere in oleum; & oleum in medicinam decoquere, vt ſupra dictum eſt.

Obſeruandum eſt, aurum vulgariter calcinatum, & benè apertum, ſicut, & quodcumque aliud metallum prius calcinatum poteſt cum ſolo, ſed optimo ſpiritu

aquę

aquæ vitæ in oleum reduci; ſi videlicet ſuper illud diſtillabis, & rediſtillabis duodecies, aut quindecies optimùm ſpiritum vini ſemper cohobando, & reponendo eundem ſpiritum diſtillatum ſupra eamdem materiam: attamen prius quàm incipias diſtillare, tenebis metallum calcinatum cum ſpiritu vini ei ſuperpoſito in vitro benè clauſo in digeſtione, ſiue putrefatione in balneo mariæ; deinde diſtillare incipies: eodem ſimiliter pacto poteris calcinare corallia, aut talcum, & in oleo reducere, ac etiam lapides prætioſos, & gemmas. A fortiori autem ſoluet dicta metalla calcinata, ſi idem ſpiritus prius fortificetur cum ſale communi, aut cum ſale vrinæ, eo modo, quem ſuperius deſcripſimus; prius tamen ipſum metallum calcinatum digerendo in balneo mariæ cum dicto ſpiritu vini fortificato, &

poſtea.

poſtea diſtillando: deinde poteris ponere ad lapillandum, ſiue cryſtallizandum; & poſtea cryſtalla in fimo in oleum ſoluere; oleum decoquere, & facere omnia, vt ſupra dictum eſt.

Sequens etiam menſtruum omnia metalla, & reliqua ſupradicta, prius tamen calcinata, in oleum reducit. Accipe igitur ſalis nitri vncias tres; ſalis armoniaci vncias tres; pulueriza bene, & miſce cum duodecim vncijs optimi melis albi, & per alembicum diſtilla aquam; in hoc verò aqua ſolue aurum calcinatum, vel quod volueris ex ſupradictis calcinatis, & in balneo mariæ per quattuor dies digere: poſtea diſtilla, & rediſtilla menſtruum ſupra ipſum corpus toties, vt in oleum abeat; quod ſolet euenire poſt quartam, aut quintam diſtillationem; melius tamen erit vti ſpiritu vini cum ſale communi, aut cum ſa-

le vrinæ fortificato; ſic enim ſubtiliora cryſtalla poſtea euenient.

Modus octauus.

Accipe vitriolum romanum, viride æris, ſulphur viuum, & ſalnitrum, ex omnibus ana; ſimul pulueriza, & fac aquam fortem: deinde in tribus illius vncijs ſolue vnciam vnam auri finiſſimi, & ſeparatim ſolue vncias quattuor mercurij optimè abluti, & purgati, in tanta quantitate dictæ aquæ, quæ ſufficiat: poſtea dictas aquas miſce, ſed paulatim, & partem poſt partem, & ita relinque per decem dies: Deinde per lucernam congela; hinc aliquibus vicibus ſolue, & congela: pars vna huius medicinæ vertet in aurum partes viginti ſaturni calcinati, & purgati; & mercurij purgati.

Poteris aquas mixtas, vt ſupra ponere ad cryſtallizandum: cry-

ſtalla

ſtalla ſoluere cum ſpiritu vini cum ſale fortificato, vt ſupra: cryſtalla poſtea in oleum vertere; ac tandem oleum fixare.

Modus nonus.

Facies aquam fortem ex ana vitrioli calcinati, & ſale nitro; in ea ſolue mercurium purgatum; diſtilla, vel euapora aquam fortem; mercurium congelatum piſta, & conſerua; poſtea accipe vitrioli calcinati libram vnam, ſalis nitri libram vnam, viridis æris vncias octo, ſalis armoniaci vncias octo, & fac aquam fortem, phlægma proijciendo. Poſtea in vncijs octo huius aquæ ſolue vnciam vnam auri fini: facta ſolutione pone in boccia longi colli vncias quattuor (alij dicunt nouem) ſupradicti mercurij puluerizati, & paulatim dicto mercurio ſuperreffunde dictam aquam cum auro ſoluto, aduertendo,

vt

vt tantum tertia pars ventris bocciæ ſit plena: vitrum coopertum pone ſupra cineres non valde calidos per viginti quattuor horas: poſtea ſigilla hermeticè bocciam, eamque pone ad balneum mariæ, quouſque omnia ſoluantur: depone vitrum ex balneo, & pone ad aerem, & congelabitur; deinde ad leuem cinerum calorem benè exſicca: quando materia erit optimè exſiccata, frange vas, & medicinam pulueriza, & conſerua. Vna illius pars cadit ſupra decem partes mercurij ſequenti modo. Pone in crucibulo mercurium purgatum, eique ſuperpone medicinam, & ſupra medicinam pone ſal commune decrepitatum, & puluerizatum: crucibulum poſtea cooperi, & luta luto ſapientiæ:luto exſiccato pone ad ignem, in principio leuem, & poſtea fuſionis, & habebis aurum perfe-

ctum.

ctum. Si tamen medicinam hanc contunderes, & incorporares cum mercurio, & in parua boccia decoqueres ad cinerum calorem vſque ad fixationem, opus fælicius eueniet.

Si facta ſolutione in balneo, vt ſupra, poneres ad cryſtalizandum, & cryſtalla ſolueres cum ſpiritu ſale fortificato, ac iterum cryſtallizares; ac tandem ex cryſtallis faceres oleum, & oleum fixares: haberes vtique medicinam ſubtilliorem, & perfectiorem.

Modus decimus.

In hoc modo explicatur quomodo fiat oleum viridiſſimum Nerij. Accipe ſublimatum, ſulphur veneris, ſal vitrioli, ſalnitrum fixum, ex quolibet vnciam vnam, ſalis armoniaci vnciam mediam, & auri calcinati vnciam mediam, vel vnam. Macina bene

nè omnia ſimul, & ſublima per ſex horas: hanc verò ſublimationem ter reiterabis, ſemper macinando ſublimatum cum non ſublimato, ſiuè cum capite mortuo. Poſtea ſolue omnia cum aqua pluuiali diſtillata, & ad ſuauem calorem congela. Has verò ſolutiones, & congelationes toties reiterabis, quouſque dicta materia fuſionem metallicam aquirat. Deinde hanc materiam in vaſe vitreo pone in loco humido, & in oleum viridiſſimum conuertetur. Hoc autem oleum fixat mercurium in aurum vt ſequitur: pone mercurium benè purgatum in crucibulo ſupra carbones accenſos; & ſtatim pone intus globulum ceræ, in quo ſit parum de dicto oleo, crucibulum cooperi, & da ignem fuſionis per mediam horam, & mercurius erit tinctus, & fixatus in aurum.

Me-

Melius erit ponere partem vnam dicti olei cum partibus decem mercurij purgati, & benè in gyrum vas voluere, vt perfectè miſceantur, deinde ad ignem competentem fixare, dando in principio ignem leuem, ne vnum ab altero ſeparetur; poſtea ignem augendo vſque ad perfectam fixationem.

Poteris etiam dictum oleum, vt alibi diximus, congelare, & in terram reducere; deinde vnam illius partem cum decem partibus mercurij purgati benè ſimul contundere, & poſtea, vt alibi dictum eſt, fixare.

Dictas verò ſolutiones; & congelationes poſteris facere, vel cum ſimplici, ſed optimo ſpiritu vini, vel cum dicto ſpiritu vini ſale fortificato; ſic enim medicina magis operatiua eſſet.

Si autem antequam materiam ſupradictam ponas in loco humido,

mido, vt in oleum abeat, vel illam ſolueres cum ſpiritu vini, cum ſale fortificato, vel non fortificato; & deinde faceres cryſtalla, & cryſtalla in oleum verteres, & oleum congelares, profecto opus perfectum eſſet.

Idem autem Præsbiter Nerius quemdam puluerem componebat, quem, & donum Dei vocabat; quem ſi tu elaborare volueris, ſic operaberis. Accipe vitriolum romanum ad tuum libitum, illud contunde, & ſolue in aqua communi, poſtea congela: deinde illud pone in olla terrea optimè lutata, quam pones ad ignem carbonum, & erit rubificatum, & calcinatum. Poſtea ei adde idem pondus ſulphuris viui, ac idem pondus ſalis gemmæ, & ad pondus omnium ſimul de crocco martis: macina omnia ſimul ſupra marmor, vt benè incorporentur; & pone in

vri-

vrinali vitreo cum puerorum vrina deſpumata ad lentum ignem per quatuor dies, quibus elapſis totam humiditatem euapora, & in fundo vaſis quemdam puluerem rubicundiſſimum inuenies, qui donum Dei vocatur. Quomodo autem ipſe Nerius dono hoc Dei vſus ſit, numquam potui inuenire; poteris tamen illud ſic perficere. Accipe de dicto puluere vncias quatuor, eique miſce vnciam vnam auri calcinati, & contunde, ac miſce ſimul, ac omnia ſimul cum ſpiritu vini, qui materię tribus digitis ſupernatet pone in boccia colli lungi, eamque ſigilla, & in balneo mariæ per octo, vel decem dies digere: Hinc leui diſtillatione ſpiritum vini ſepara, & materiam exſicca: Materiam verò exſiccatam benè pulueriza, eamque in boccia ad leuem calorem cum ſpiritu vini ſale fortificato, vel non for-

tificato, ſolue; & ſi opus fuerit toties id repete, quouſque tota materia ſit ſoluta; facta verò ſolutione pone ad cryſtallizandum: cryſtalla verte in oleum: oleum per decoctionem reduc in terram: hanc terram benè contunde cum mercurio optimè purgato, & ſimul ad ignem fixa, vt iam multoties dictum eſt. Poteris etiam dicto puluere, ſiue dono Dei cimentare lamellas lunæ, vt fixentur, & poſtea in aurum tingi poſſint.

Modus vndecimus.

Accipe lunæ finæ calcinatæ, vt infra, vncias duas; auri fini calcinati vnciam vnam. Solue hæc duo ſeparatim in oleo vitrioli facto, vt infra: poſtea hæc ſoluta, ac etiam totum oleum, in quo ſoluta ſunt, pone in boccia longi colli, quàm benè ſigillatam pone in balneo, aut fimo per viginti quin-

quinque dies: deinde ſupra cineres, ore bocciæ aperto materiam optimè exſiccatam reduc in corpus, & habebis aurum perfectiſſimum,

Calcinatur luna pro ſupradicto opere. Accipe laminas ſubtiles lunæ finæ; v. g. vncias tres, & fac ſtratum ſupra ſtratum cum vncijs ſex cinnabaris in crucibulo benè lutato, vt non reſpiret, & da ignem cimenti per viginti quatuor horas; ſi verò luna non eſſet perfecte cimentata, & calcinata, cimentum continua: quando autem illam inuenies benè albam, tunc erit perfectè calcinata.

Oleum autem vitrioli pro eodem opere fit, vt ſequitur. Solue vitriolum romanum in aqua calida, & filtra: filtratum pone ad ignem vt bulliat, quouſque iſtius aquæ quarta pars minuatur: poſtea in loco humido lapil-

la, ſiue cryſtallizza, & dictos lapillos optimè exſicca: deinde habeas aquam fortem communem, in qua dictas lapillos ſolue, & in bona quantitate, ita quod aqua fortis vt liquor ſpiſſus, ſeù vt vinum coctum eueniat. Hinc ponatur in boccia benè obturata per triginta dies ad balneum, aut fimum. Deinde ad cineres, & lento igne diſtilla, & primò egredietur aqua fortis, quam ſerua ad partem; quando verò incipiet venire oleum, muta recipiens, ignem auge, & diſtillabitur oleum rubicundum pro ſupradicto opere.

Quia verò in ſupradictis operationibus multi vtuntur oleis vitrioli, vel ſulphuris, aut oleo vitrioli compoſito, ideo claritatis gratia deſcribam varios modos dicta olea faciendi.

Oleum vitrioli compoſitum. Accipe oleum ſulphuris per lateres dephlegmatum, & in eo ſolue

per digeſtionem golgotta, ſiue caput mortuum vitrioli, aut vitriolum optimè rubificatum, ac deinde ſimul diſtilla.

Olea vitrioli,aut ſulphuris non compoſita. Rubifica vitriolum, & ſuper illud rubificatum pone ſpiritum vini, & vitro benè clauſo digere: poſtea diſtilla, vt diſtillari ſolet aqua fortis tribus diebus, & tribus noctibus, & egredietur cum ſpiritu vini oleum vitrioli; à quo ſeparabis leui diſtillatione per cineres ſpiritum ab oleo,& in fundo remanebit oleum prætioſum. Eodem autem modo poteris etiam oleum ſulphuris facere: quamuis communiter per campanam fiat, & poſtea dephlegmatur.

Oleum ſulphuris. Accipe ſulphur viuum, illud piſta, eique ſuperpone ſpiritum vini, vt duobus digitis ſupereminẹat, & digere per horas vigintquatuor, vi-

tro benè clauſo: ſpiritum tinctum decanta, & ſigillatum conſerua: alium ſpiritum materiæ ſuperpone, & ſimul digere, vt ſupra; & ſpiritum tinctum, decanta, & ſic toties reitera, vſquequo tota virtus, ſeu tinctura ſulphuris extracta ſit: deinde pone ſimul omnes ſpiritus decantatos, & euapora, aut leuiter ſpiritum vini diſtilla, & in fundo oleum ſulphuris remanebit; & ſi materia non eſſet omnino in oleum redacta, pone illam in loco humido, aut in balneo mariæ, vel in balneo vaporoſo, & perfectè in oleum vertetur.

Oleum ſulphuris prætioſum. Accipe ſulphur, illud contunde, & pone in olla vitreata, eique ſuperfunde vrinam puerorum deſpumatam, & filtratam; ac fac bullire, & cum cochleari ſpumam collige, & conſerua in vaſe vitreo; ſic autem continua, quouſque

uſque nullam amplius det ſpumam; ſemper autem ſpumas, vt ſupra colliges, eas reponendo cum alijs ſpumis: deinde ipſas ſpumas, quę iam erunt in aquam verſę per alembiccum leui igne diſtilla, ſed in fine auge ignem, & habebis oleum ſulphuris prætioſum.

Fit pulchrum aurum.

Accipe croci martis, ęris vſti, auri calcinati, ana: pulueriza omnia, & cum ſale ammoniaco ſoluto miſce ſimul omnia, & impaſta: deinde ad leuem calorem exſicca; hinc pulueriza, & conſerua: funde poſtea argentum, & ſuper illud fuſum proijce de dicto puluere cum aurifabrorum borace, quantum ſufficit, ac ſimul omnia optimè funde, & habebis pulchrum aurum: poteris tamen illud ad aquam ſeparationis ponere, & puriſſimum aurum colligere.

Aliud.

Vt aurum pallidum, ac in tinctura deſſiciens perfectè tingatur: ac etiam vt terram auri tingas, à qua ipſius tinctura ſeparata fuit, ſic procedes. Accipe mediam vnciam mercurij ſublimati, & mediam vnciam cinnabaris, & mediam vnciam antimonij, & vncias duas aceti, cui aceto tantum eruginis ferri immiſce, quantum duobus digitis capere poſſis: deinde paulatim omnia indantur retortę, & diſtilla, & exibit liquor viſu pulcher; poſtea accipe tertiam partem cinnabaris, quam imbibe liquore ante elicito; ac denuo omnia in retortam vitream impone, ac per diſtillationem à cinnabari liquorem abſtrahe, deinde alembico hermeticè ſigillato, in ditum per duodecim dies in arena coagulari ſinas, &

habebis

habebis pulueremn, quo, vt ſequitur vti poteris.

Accipe aurum pallidum, & imperfecti coloris; aut aurum, à quo ipſius tincturam ſeparaſti, v. g. quatuor vncias, ſupra quas ex puluere prępato ſex drachmas, vel quantum ſufficiet, & fuſioni expones, & habebis aurum, vel terram auri ad perfectum colorem exaltatum. Poteris etiam ſic procedere: Accipe tenues lamellas auri, vel argenti, & pone intra oleum, ſeù liquorem ſupradictum, antequam coaguletur, & viginti quatuor horis ad leuem calorem decoque, vſquequo videas oleum per ebullitionem parum commoueri, & habebis intentum.

Aliud.

Vt plumbum aureo colore intus, & extra tingatur: quod ſophyſticum eſt vtile pro ornamen-

tis faciendis. Fiat medicina ex erugine martis, gelamina citrina, ſulphure, cinnabari, auripigmento, & ſale ammoniaco, quæ in puluerem redacta impaſtentur felle taurino, aut oleo è vitellis ouorum; poſtea reſiccetur, & ſuper prunas in patinis vertetur citra adùſtionem; ac tandem in plumbum fuſum proijciatur, & habebis plumbum in aureo colore fulgens.

Aliud cum magno lucro.

Accipe æris vſti libras duas; ſulphuris vitrioli libras duas: ſeparatim ſuper mamor tere, & poſtea miſce, & pone intra alembicum, iuncturas optime ſigilla, & ad cineres leui calore diſtilla, aquamque diſtillatam in vitro clauſo conſerua. Deinde malgama ſimul drachmas duas puri auri cum quatuor drachmis argenti

viui non falſificati, ac purgati: amalgamatum cum aqua ſuperius in vitro reſeruata quam optimè per triduum ſequens ſubigas, ſiue pictorum more teras; tunc materiam in vitro poſitam igne leui per duodecim horas concoque: materiam tunc è vitro extrahe, & denuò cum dicta aqua tere, & vt ſupra recoque, idem ſemper repetendo. 18. vicibus, & donec colorem vermilium acquiſierit.

Deinde accipe huius materiæ partem vnam, eamque proijce ſupra partes 18. plumbi purgati, & fuſi. Plumbum autem pro dicto opere ſic præparatur. Accipe plumbi lamellas ſubtiles, eaſque cum ſubtiliſſimo puluere ſalis communis in vaſe terreo ſtratifica, continuando ſtratum ſupra ſtratum, donec totum vas plenum ſit; vas cooperculo terreo cooperi, quod tamen paruulum

foramen habebit, per quod fumus tranſire poſſit, iuncturas autem vaſis optimè obtura. Deinde igne competenti per ſex horas decoque; & poſtea, aperto vaſe, lamellas plumbi corroſas, & candidiſſimas reperies, quas lixiuio forti, & calido impones, & ſal deſcendet vna cum liſciuio, laminæ verò plumbi remanebunt candidæ, & pure in fundo vaſis; quas inde exemptas ſupra marmor aqua fontana identidem ſuper affuſa conteres, quouſque aquam claram comperies: hoc per actor, tritiones repetes cum puluere remanentis aquæ, addita aqua aluminis, & ſalis communis, & tartari, ſiceeturque ad leuē ad ignem, & hoc toties repetatur, donec tota materia candidiſſima appareat; tunc autem totum in olla fuſioni committe, & habebis plumbum pro dicto opere præparatum.

De alijs modis faciendi dictas multiplicationes per varia cimenta.

CAPVT XXXIII.

PRimū cimentum. Accipe libras duas ſulphuris ordinarij, optimè macinati: ſimiliter accipe libras duas ſpumę ferri benè etiam puluerizatæ: hęc autē ſpuma ferri italicè vocatur loppa di ferro, & eſt illa ſpuma ferri, quam fabriferarij proijciunt: hos autem pulueres ſimul miſce, ac pone in olla forti, deinde per quatuor ollas ſublima, ollarum autem vna ſtet ſupra aliam modo conſueto: deinde accipe quod ſublimatum erit in duabus ſupremis ollis: non ſublimatum verò proijciatur. Hanc autem ſublimationem adhuc duabus vicibus cum ana noue ſpumæ ferri reiterabis, ſemper accipiendo

do ſublimatum ad duas ſupremas ollas, & non ſublimatum proijciendo.

Poſtea accipe vncias nouem puri argenti, & cum eo funde vnciam vnam æris; hinc ex hoc argento fac ſubtiles laminas, & ex illis, & ex dicto ſulphure ſublimato facies ſtratum ſupra ſtratum in vaſe terreo, & forti: tunc vas alio vaſe terreo cooperi, ac iuncturas luta. Exſiccato luto pone vas ad ignem rotæ per tres horas; ignis autem erit mixtus ex carbonibus, & cineribus; prima verò hora vas diſtabit vno palmo ab igne; ſecunda hora medio palmo: tertia autem hora plus approximabitur, aduertendo tamen ne ſulphur accendatur.

Deinde frigefacto vaſe accipe lamellas argenti, & cum parua ſcopa ex filis ferreis compoſita, vt aurifabri vtuntur, deice intra vitreum vas quamdam pelliculam,

lam, cruſticulam, quàm laminæ deſuper habebunt, & hoc erit quaſi totum aurum optimum; & ad partem ſeruabis: iterum eaſdem laminas cimenta ſecunda, & tertia vice, faciendo omnia vt ſupra: laminę autem, quæ poſt tertium cimentum remanebunt, ſoluendæ ſunt in aqua forti ſeparationis; & quod ad fundum vitri pręcipitabitur, ablues cum aqua calida, & exſiccatum in corpus rediges, prout aurifabri ſolent. Aurum verò quod erit in ſupradictis pelliculis, quas ad partem ſeruaſti, reducetur in corpus cum balneo auri; prius tamen ablues, & exſiccabis. Aduerte quod in aqua ſeparationis, in qua lamellas argenti ſoluiſti, remanebit argentum, quod non erit in aurum conuerſum; & hoc argentum ex illa aqua recuperabis, vel debilitando aquam fortem, vel illam diſtillando, vel euaporando.

Secundum cimentum. Accipe ſal armoniacum, ſalnitrum, vitriolum romanum, ana, & ex omnibus mixtis fac aquam fortem, quam toties ſupra fæces proijcies, & diſtillabis, quouſque tota aqua ſupra fæces conſumetur: in diſtillationibus verò peragendis iuncturæ optimè clauſæ ſint, ne reſpirare poſſint.

Cum hac autem materia lamellas compoſitas ex ana auri, & argenti facies ſtratum ſupra ſtratum: crucibulum autem ſit benè clauſam, iuncturis obturatis: & crucibulum, quo aliud cooperies, in fundo paruum foramen habebit, vt eſt foramen acus. Hinc pone vas ad ignem rotæ per quatuor horas; & ignis à vaſe vno palmo diſtabit: tandem per alias quatuor horas approxima ignem, vt crucibulum tangat, ac etiam cooperiat; & habebis aurum viginti duorum karatt: & ſi adhuc

alia

alia vice cimentum reiterabis, aurum viginti trium karatt: erit.

Tertium cimentum. Prius eſt ſal armoniacum ſic præparandum: illud macina, deinde cum aqua communi ſolue, filtra, & euaporando aquam communem congela; & has operationes ſepties repete. Deinde hoc ſal tribus vicibus ſublima cum ſpuma ferri, eo modo, quem ſupra diximus de ſublimatione ſulphuris; ſed pro hac ſublimatione duæ ollæ ſufficient; & ſic habes ſal armonicum præparatum.

Nunc autem accipe ex quolibet ex infra dictis ingredientibus vnciam vnam, nempe Ferretti hiſpanici; dicti ſalis armoniaci præparati; vitrioli romani rubificati; boracis aurifabrorum; lateris perfectiſſimè cocti, & quod nunquam humiditatem ſenſerit; calcis viuæ, que numquam humectata fuerit; ſalis communis decrepita-

ti;

ti; ſulphuris communis; & ſalis gemmæ. Piſta omnia ſeparatim, & poſtea miſce, & ſolue cum vrina puerorum bibentium vinum diſtillata, & ad ignem cinerum exſicca: iterum cum vrina ſolue, & exſicca; hoc autem ſoluere, cum vrina, & exſiccare ter, vel quater reiterabis: hinc omnia ſimul macina, & pone in crucibulo benè cooperto, & lutato; luto exſiccato pone crucibulum per tres horas ſupra carbones accenſos, aduertendo tamen ne materia fundatur.

Poſtea materiam extrahe, eamque ſubtiliſſimè macina: deinde accipe argentum, quod habeat decimam partem æris, illudque lima, & miſce cum æquali portione dicti pulueris; & omnia ſimul pone in crucibulo, quod cooperi, & iuncturas luta, & da ignem per quatuor horas, in principio leuem; ſed ſemper illum ſuceſſiuè

auge-

augebis ; & quatuor horis tranſactis dabis fuſionis ignem ; & poſtquam erit fuſum, proijce ſuper illum puluerem ſulphuris ordinarij ; materia erit nigra, & quò nigrior, eo melior erit : huius autem materiæ nigræ proijce partem vnam ſupra partes duas auri fini, ac funde ſimul, & relique vt in fuſione benè clareſcat, & tunc in canalem proijce, & habebis aurum viginti duorum karatu:

✠

Fi-

Fixatur mercurius in argentum; vel in aurum.

CAPVT XXXIV.

HAbeas aquam fortem factam ex alumine, & ſalenitro, vt moris eſt: & in tribus illius partibus ſolue partem vnam lunæ cupellatæ; deinde euapora, vel diſtilla medietatem aquæ fortis, & medietatem illam non diſtillatam pone in loco frigido, & humido ad cryſtallizandum; formatis cryſtallis, aquam fortem euacua, ſiue decanta: Super cryſtalla verò (ſi erunt vnius vnciæ ponderis) pone vncias duas ſpiritus vini ter diſtillati, & optimi, & cryſtalla ſoluentur; deinde ſupra cineres calidos ſpiritum vini euapora, hoc ſoluere cum ſpiritu vini, & euaporare, quater, vel ſeſſies reiterabis, & quò pluries id repe-

repetes, eo melius cryſtalla in oleum perfectum vertentur. Hinc pone in vrinali lutato vncias octo mercurij purgati, & quando ad ignem incipiet mercurius fumigare, proijce ſupra illum vnciam vnam dicti olei, & indureſcet tamquam metallum; & ſi ita tenebis ſupra cineres calidos per horas viginti quatuor, eueniet durus ſicut cuprum, ſed erit materia frangibilis.

Ne verò argentum frangibile eueniat, ſic operaberis. Pone in vaſe apto dictas vncias mercurij, eiſque ſuperpone vnciam vnam dicti olei lunæ, & in gyrum voluendo vas, fac vt benè miſceantur: deinde pone omnia in boccia, quam benè ſigilla, & ſupra cineres ad lumen lucernæ decoque, & fixa: ſed in principio ad minus per decem, aut quindecim dies calor erit ſatis lentus, ne vnum ab altero ſeparetur. Ad-

uerte

uerte autem quod aqua fortis quando ſolues argentum, debet eſſe calida, quia ſi eſſet frigida, calcinaret, & non ſolueret argentum.

Aduertendum autem, quod eodem pacto poteris cum ſummo lucro vertere mercurium in aurum optimum, faciendo cryſtalla aurea; ſed pro ſolutione, & cryſtallizatione auri vti debes aqua regia; cetera verò perficies, vt ſupra dictum eſt.

Sal commune decrepitatur.

CAPVT XXXV.

QVoniam in multis operationibus requiritur ſal commune decrepitatum; idcirco neceſſarium cenſui modum illud decrepitandi traddere, & eſt, vt ſequitur. Accipe ſal commune, ſed quod ſit forte, ac potens, ac illud

illud ſolue cum aqua maris, ſi poſ- ſteris habere, vel cum aqua communi; facta ſolutione, decanta in aliud vas aquam claram, interpoſita tamen tela linea, vt ſi quæ eſſent ſordes in ipſa remaneant: in ipſa autem ſolutione terra inſolubilis fundum petet; quare dum aquam claram decantabis, aduertes ne tèrra hæc ſimul cum aqua deſcendat: porro hanc terram proijcies. Hinc aquam decantatam ad ignem euapora, & remanebit in fundo vaſis ſal congelatum, quod ad calorem ſolis, vel cineratum exſiccabis. Sal verò exſiccatum pone in ollam, quam cooperies cum alia olla, ita quod os vnius ollæ os alterius ingrediatur, iuncturas verò optimè lutabis, vt reſpirare non poſſint; deinde pone ollas ad ignem, & ibi relinque per quinque, vel ſex horas: poſtea ſine ignem ex ſe extingui, & cautè lutum ab ollis de-

pone

pone, ne ſupra ſal cadat: ſal autem in loco non humido, & in vaſe benè clauſo ſeruabis.

Alius modus.

Sal commune decrepitandi. Accipe ſal commune album, illudque pone in crucibulo, ſiue in olla forti, quæ igni reſiſtat, & ſit quaſi plena ſale, eamque cooperculo cooperi, & pone ad ignem ſupra carbones accenſos, ibique relinque, quouſque ſal amplius non crepitet, nec aliquem rumorem faciat: tunc ſolue illud in aqua communi, filtra, euapora aquam, & ſal benè exſicca, & conſerua, & eſt decrepitatum.

* * * * *

Modus

Modus extrahendi ex herbis, & earum radicibus phlegma, ſpiritum, & ſal.

CAPVT XXXVI.

ACcipe herbas, vel illarum radices, ſiue virides, ſiue exſiccatas, non enim omnes vna eodemque tempore haberi poſſunt: eas aliqualiter fermenta, & digere, deinde diſtilla primò exhibit phlegma, deinde ſpiritus; conſerua ſeparatim vnum ab alio. Poſtea ex capite mortuo calcinato more communi cum phlegmate ſalia elice, & fiant lixiuia; lixiuium filtra ſiue leuiter decanta: facta verò ſalis extractione, & filtratione, filtratum euapora ad leuem ignem, & remanebit ſal; tunc autem ſali miſce ſupra dictum conſeruatum ſpiritum, ſolue

ſimul, & diſtilla; & ſic in parua quantitate exhibitum, maiores habet vires, quàm ſi decoctum, vel ſuccus illius herbæ, aut radicis in maiori quantitate traderetur, habet enim vires, & quidem ſubtiliatas, & purificatas totius miſti.

Alius modus efficiendi ſales cryſtallinos, & tranſparentes vegetabilium. Accipe cineres cuiuſcumque vegetabilis, cum æquali parte ſulphuris elegantis puluerizati, calcina, ſeu combure igne non admodum leni, ſic omnis pinguedo lixiuioſa, odoris, & ſaporis ingrata à cineribus cum ſulphure perit. De his cineribus tandem cum aqua communi elice ſal extractiones vſque ad cuticulam diſtillando, & poſtea in loco frigido ad cryſtallizandum deponendo. Hi ſales ſunt omnium optimi, & mirificè operantur.

Alius modus. Accipe cineres cuiuſ-

cuiuſcumque vegetabilis, ac ſolue pedetentim cum aceto diſtillato, cum parua quantitate aquæ fortis fortificato; ſolutionem tempera cum aqua communi diſtillata, vel cum aqua fontana, quantum ſufficit, filtra, & euapora vſque ad ſuccreſcentem in ſuperficie ſolutionis cuticulam; tunc pone in locum frigidum ad cryſtallizandum; accipe cryſtalla, eaque elue in aqua frigida, leuiter exſiccâ, & conſerua, aut etiam comminuendo in puluerem tere. Hęc ſalia ſunt pura, ſaporem habent ſuauem, nec liqueſcunt, ac ſunt valdè operatiua in rebus medicis: ex iſtis modis poterit chymicus addiſcere quomodo ſua ſalia formare poſſit.

* * *

Corollarium effectionis lapidis philoſophorum.

CAPVT XXXVII.

PLures, & diuerſi, vt vidimus, inueniuntur modi efficiendi lapidem philoſophicum, illorum tamen præcipui ſunt tres, quos in hoc capite breuiter explicabimus.

Modus primus. Accipe vncias tres mediæ ſubſtantiæ, eaſque ſolue in menſtruo vegetabili, vel animali: pariter accipe vncias duas optimi auri, vulgariter, & philoſophicè calcinati, ac etiam phyſicè ſoluti, vt dicitur in prima parte in capite de effectione auri potabilis. Deinde hæc duo menſtrua, in quibus media ſubſtantia, & aurum ſunt ſoluta, miſceantur, vt perfectè, & per minima ſolutiones incorporentur; poſtea per

collum

collum retortum ſeu per humilem retortam ſimul cum menſtruo ad minus ter diſtillentur, vt melius ſubtilientur, & miſceantur: hinc ad leue balneum diſtilla totam aquam menſtrualem, & reliquum pone in paruo vitro, cuius tamen duæ partes remaneant vacuæ, illudque hermetice ſigilla, ac pone in furno triplicis munitionis, ſeù atthanoris, & da ignem graduatim, hoc eſt, in principio leuiſſimum, ne mercurius volatilis ſeparetur à fixo, ſcilicet ne aqua mediæ ſubſtantiæ ſeparetur ab aqua auri; nam iſtæ duæ aquę ſunt duo illa ſemina maſculinum, & fæmininum, de quibus iam locuti ſumus, quæ ſemina debent manere coniuncta, vt ſuam prolem, nempè, lapidem philoſophicum generare poſſint: poſtquam verò per leuem calorem, & continuam decoctionem materia peruenerit ad per-

manentem albedinem: tunc poteris augere ignem, & ſic continuare vſque ad perfectam rubedinem, & quouſque lapis ſit perfectè fixus. In hac autem decoctione varij apparebunt colores, prout materia variè, & magis, ac magis per decoctionem alterabitur; præcipui tamen, & qui plus notantur, erunt quatuor, ſcilicet, in principio nigredo, poſtea albedo, deinde flauedo, & tandem perfecta rubedo, inſtar rubini, aut papaueris ſylueſtris.

Duę verò aquæ iſtæ, quando ſunt ſimul mixtæ, & nondum decoctæ, dicuntur, & ſunt materia proxima ipſius lapidis: tunc enim ſunt duo mercurij ſimul coniuncti; & mas rubeus (hoc eſt, aurum) eſt coniunctus in matrimonium, ſcilicet, inſeparabiliter cum fæmina alba, hoc eſt, cum media ſubſtantia, & ſic mas rubeus eſt factus fæmina alba, nem-

pe,

pè, aurum conuerſum eſt in mercurium cum media ſubſtantia, & ſub illa occultatur; ſed poſtea fœmina alba vertetur in marem rubeum, quia aurum tandem per decoctionem dominabitur, & vertet aquam mediæ ſubſtantiæ, in ſuam propriam naturam, & ſecum perfectè fixabit: nam per decoctionem occultum fit manifeſtum; & manifeſtum occultum; & inferius fit ſuperius, & ſuperius fit inferius: quia anima, ſiue tinctura auri, quæ in mercurio mediæ ſubſtantiæ occultabatur, & intra illum claudebatur, per decoctionem fit ſuperius, & manifeſtatur, dum mediam ſubſtantiam tingit, colorat, figit, & in ſui naturam conuertit. In hac autem mixtione, & decoctione corpus eſt factum ſpiritus, & ſpiritus factus eſt corpus; quia ex iſtis duobus mercurijs, ſeu ſeminibus factus eſt vnus tantùm mer-

curius, ſcilicet, ex auro, & ex media ſubſtantia in vnam aquam redactis; Vnde corporale, ſeù corpus factum eſt ſpirituale, ſeù ſpiritus, ſiue mercurius; ſpiritus verò, ſeù ſpirituale factum eſt corporale, ſiue corpus, cum hæc duo in vnum mercurium, & poſtea per decoctionem in vnum lapidem ſunt coiuncta: Hoc autem eſt, quod dicebant antiqui: *Fac fixum volatile, & volatile fixum*; hoc eſt, ſolue aurum in oleum, & fixum feciſti volatile; deinde miſce ipſum aurum ſolutum cum mercurio, ſiue cum aqua mediæ ſubſtantiæ, ac ſimul decoque, & fixa, & tunc volatile fixaſti, ac fixum rediſiſti.

Hunc autem lapidem, priuſquam cum illo proiectionem facias, debes oleo ſolis incerare, vt maiorem tincturam acquirat; dicunt enim Philoſophi, *Lapis noſter non tingit, niſi tingatur*; ac

etiam vt facilis fuſionis ſit, & tamquam cera fluat.

Antiqui Philoſophi, hunc lapidem appellabant ignem, quare dicebant, *ignis, ſi ſemel accenſus fuerit in domo tua, nũquam extinguetur*; & hoc, quia lapis ſemel factus poteſt ſucceſſiuè, & in infinitum multiplicari; Si autem volueris tuum lapidem ſemper multiplicare ſic procedes.

Partem aliquam tui lapidis incerabis, & cum illa proiectionem facies: cum alia verò parte multiplicabis lapidem, vt ſequitur. Accipe v. g. vncias ſex aquæ mediæ ſubſtantiæ, & vncias duas auri in aquam pariter redacti, & vncias duas dicti lapidis cocti, ſimiliter cum menſtruo in aquam ſoluti, & omnes miſce, ac ter ſimul diſtilla, vt ſupra; deinde leui calore aquam menſtrualem ſepara; quod autem remanet, pone in vitro, quod ſigilla hermeticè, &

decoque, & fac omnia, vt ſuprà: hæc enim eſt vera, & perfecta multiplicatio: nam multiplicatio in virtute, & quantitate eſt primi operis reiteratio. Tali veró pacto cum vna parte huius ſecundæ medicinæ poteris, modo ſupradicto ſeruato, aliam multiplicationem facere: ac iterum cum vna parte huius tertiæ medicinæ aliam multiplicationem, & ſic in infinitum: ſed ante proiectionem debes ſemper lapidem, ſeù medicinam oleo ſolis rubificare, & incerare.

Secundus modus eſt, vt habeas vncias ſex mediæ ſubſtantiæ, cum menſtruo in aquam redactæ, & leui diſtillatione ſeparato menſtruo, in illa ſoluas ad leuem balnei calorem de auro optimè purgato, & perfectè calcinato vncias tres, vel quantum de auro ſoluere poterit; nam aqua mediæ ſubſtantiæ tantum de auro ſoluet,

quan-

quanto ad hoc opus indigebit; vnde ſi aliquid de auro inſolutum remanebit, poteris totam ſolutionem decantare, aurum non ſolutum reſeruando pro multiplicatione. Solutione auri facta, pone hanc aquam cum auro in illa ſoluto in vitro, illudque hermeticè ſigilla, & decoque, vt ſupra. Poſſes tamen in hanc aquam ſoluere, non aurum calcinatum, ſed ſulphur aureum, factum ex terra auri, & eius anima, ac ſublimatum, vt in quarta medicina primæ partis diximus: tunc enim perfectior lapis eueniret. Poſtea, vt ſupra, lapidem hunc incerabis.

Si autem volueris hunc lapidem, ſiue hanc medicinam ſucceſſiue, & in infinitum multiplicare; iterum ſolues in vncijs ſex aquæ mediç ſubſtantiæ vnciam vnam auri, & vncias duas dictæ medicinç, & facies omnia, vt ſu-

pra, & ſic in infinitum multiplicare poteris, vt ex iam dictis patet, ſeu accipiendo aliquam partem vltimæ medicinæ.

Modus tertius eſt ille, quem explicauimus in prima parte, declarando quartam medicinam, quæ eſt omnium perfectiſſima. Accipe igitur aurum optimum, illud calcina vulgariter, poſtea philoſophicè, eique vnias æqualem partem, vel duplo plus ſulphuris vegetabilis, vel animalis, & omnia miſce cum menſtruo, quod ſupereminéat materiæ tribus digitis, & in balneo, ſeù in fimo equino, putrefacies: deinde per diſtillationem ſepara elementa chymica, vnum ab altero diuiſim; ſed facilius, & eiuſdem perfectionis erit, illa omnia ſimul diſtillare, ita quod in fundo vaſis remaneat ſolum elementum terræ, omnibus ſuis elementis mercurialibus denudatum. Hæc verò

rò elementa ſimul ita mixta ſepties diſtilla; interim autem elementum terræ calcina, poſtea cum menſtruo ſolue, filtra, & exſicca, ita vt ſola terra auri remaneat. Deinde per partes vnies dicta elementa mercurialia, ſeu animam auri ſuæ terræ: has autem nutritiones, & imbibitiones toties reiterabis, donec terra ſuam animam ſecum vnierit, & coagulauerit, vt volare ſiue ſublimari poſſit; tunc autem ſublima in ſulphur perfectiſſimum: hoc verò ſulphur cum oleo ſolis in menſtruo ſoluto imbibes per partes, digerendo per duos dies ad balneum, & per alios duos dies ad cineres; & poſtea, euaporando menſtruum, exſicca: tunc iterum imbibe, & fac omnia, vt ſupra: has verò imbibitiones toties reiterabis, donec materia rubicundiſſima, & tamquam rubinus euadat.

Poſtea

Poſtea fac optimum malgama ex tribus partibus mercurij purgati, & vna parte auri optimè vulgariter calcinati, & pone illud in mortario vitreo, & ſimul cum vncia vna dicti ſulphuris ſublimati macina per duas, vel três horas, ſemper piſtillum vitreum per eandem vaſis partem reuoluendo. Deinde hanc materiam pone in vitro vno palmo alto, cuius fundum ſit aliqualiter ad modum oui; os autem vaſis ſit ita anguſtum, vt tantùm digitus minor poſſit in illud ingredi, ac illud antenotorio claude. Tunc vas pone in triploide atthanorum ad leuem, ſeù trium filorum ignem, aduertendo, quòd vas non debet eſſe cineribus coopertum, niſi quantum de illo materia occupat; ignem verò continua, quouſque materia ſit in puluerem rubicundiſſimum redacta, quod breui temporis ſpatio eueniet. Hinc de-

bes

bes materiam iſtam imbibere menſtruo, in quo ſit anima, ſiue tinctura ſolis, ponendo quartam partem dictæ aquæ rubræ ad pondus materiæ, & per duos dies digerendo ad balneum, vt faciebas in creatione ſulphuris, & deinde ponendo ſupra cineres calidos per duos alios dies: poſtea capellum appone, & leui calore illa parua aquæ menſtrualis diſtilletur: deinde collum vaſis obtura ſacculo bombice pleno, vt dictum eſt in ſublimatione ſulphuris, & da ignem ſublimationis; quod autem erit ſublimatum repone ſupra non ſublimatum, iterumque imbibe cum quarta parte dictæ aquæ rubrę, & fac omnia, vt ſupra; hoc autem toties reitera, quouſque materia amplius non ſublimet.

Tunc materiam iſtam pone in vitro forti, & ventris rotundi, quod habeat collum competenter

ter longum, eoque hermeticè ſigillato, pone in triploide atthanorum ad ignem quinque filorum, & ſic per quadraginta dies continua. Dicto autem tempore tranſacto, extrahe materiam, eamque cum elemento aquæ, hoc eſt, cum menſtruo vegetabili, vel animali diſſolue, deinde per balneum aquam menſtrualem diſtilla, & ad cineres benè coagula; & hoc ſoluere, diſtillare, & coagulare ter ad minus repetè; & in fine vltimæ congelationis da ignẽ ſublimationis, & ſi aliqua pars ſublimabitur, illam ſupra non ſublimatum repone, & hoc toties reitera, vſquequo totum fixum remaneat.

Medicina hæc quaſi infinitam proiectionem habet, illam in loco calido conſerua, ſolummodo enim inceratione indiget.

Hæc autem poteſt ſucceſſiuè, & in infinitum multiplicari, vt

ſequi-

ſequitur. Accipe aliud malgama factum ex tribus partibus mercurij optimè purgati; & vna parte auri puriſſimi, & parte vna huius medicinæ, & macina omnia ſimul, & fac omnia, vt ſupra: & ſic ſemper cum vna parte vltimæ medicinæ multiplicationem in infinitum continuare poteris,

Remanet modo vt pro maiori claritate explicemus nomina, quibus aqua mediæ ſubſtantiæ, & oleum ſolis appellari ſolent; nam aqua mediæ ſubſtantię communiter vocatur ſemen fœmininum, regina, aquila, aqua cæleſtis, ſputum lunæ, clauis, mercurius philoſophorum, aqua vitæ, & mortis aqua glacialis, pluuia philoſophica, fontina, balneum corporum, acetum accerrimum, aqua manus non madefaciens, & allijs innumerabilibus nominibus. Aurum verò, ſeu ſulphur, ſiue oleum auri dicitur ſemen maſculinum,

ſulphur

ſulphur chymicorum, oleum ſolis, mas, rex, leo, bufo, ignis naturæ, ſol corporeum, axungia ſolis, oleum incombuſtibile, mercurius rubeus, aqua permanens, & quampluribus allijs nominibus appellatur. Hæc autem duo ſimul mixta ſunt materia noſtri lapidis, ſiue noſtræ philoſophicæ medicinæ, eamque immediatè componunt, vt multoties tam in prima, quam in hac ſecunda editione admonui.

Ex dictis autem tám claré, & diſtinctè conſtat modus efficiendi lapidem philoſophorum, vt faciléquilibet poſſit, niſi truncus naturæ humanæ fuerit, vel ipſum lapidem, vel aliquid ſibi vtile efficere: quibus tamen Deus ob ſuos iuſtos fines hoc ſuum donum non largietur, in patientia id inſtineant, firmè credentes ſe ad optatum finem non peruenire, eò quod Deus præuideat illos diuitijs malè

vſu-

vſuros, vndè illos non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem.

Finis ſecundæ Partis, ac totius operis.

Typographus ad Lectorem.

NOmen Authoris occultatum in Anagrammate, & quo in ſacro fonte nuncupatus fuit, eſt Ioannes Baptiſta Marengus, Ciuis Genuenſis, vir de re litteraria valdè benè meritus.

Google

EX PRIMA PARTE.

Pagina. Lin.	*ERRATA.*	*CORRECTA.*
59. 7.	auiri	auri.
64.15.	radicaie	radicale.
76.22.	impiguatum	impinguatum.
105.15.	baſis	vaſis.
113. 2.	ſemine	ſemina.
144. 3.	vt eſt	& eſt.
313.10.	eſt	non eſt.
362. 4.	ſiermes	hermes.
408.24.	malefaciens	madefaciens.
417.14.	ſeu	ſui.
421.20.	ſimpijci	ſimplici.
422.11.	martem	marte.
425.23.	eumque	eamque.

EX SECVNDA PARTE.

Pagina. Lin.	Errata	Correcta
62.20.	ſumé	ſummè.
125.10.	olenda	ſoluenda.
127.12.	As	ac.
136. 3.	abbreuiatores	abbreuiationes
198.25.	ſol is	ſolis.
205.23.	reſidu	reſiduum.
236. 2.	affiunde	affunde.
285. 1.	eum	cum.
293. 4.	adduat	addunt.
294. 4.	cryſtallo	cryſtalla.
305.14.	alibi	albi.

A91 1456285